PAVLI ERNESTI IABLONSKI

PANTHEON AEGYPTIORVM

SIVE

DE DIIS EORVM

COMMENTARIVS

PARS II.

Francofurti ad Viadrum

SVMTIBVS IOAN. CHRIST. KLEYB.

MDCCLII.

ILLVSTRISSIMO ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO LVDOLPHO

S. R. I. LIBERO BARONI

DE DANCKELMANN

ET PRANGIN

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS STATVS, BELLICARVMQVE RERVM MINISTRO, CONSISTORII SVPREMI BEROLINENSIS, VTI ET SENATVS ECCLESIASTICI REFORMATI, ET RERVM ECCLESIASTICARVM OMNIVM SVMMO PRAESIDI, ACADEMIARVM REGIARVM SCHOLARVMQVE CVRATORI SVPREMO, CAVSARVM ADHAEC GALLICARVM, CIVILIVM ET ECCLESIASTICARVM GVBERNATORI

DYNASTAE IN LODERSLEBEN, OPHAVSEN,

ITEMQVE RELIQVA

MVSARVM PRVSSICARVM STATORI

DOMINO SVO BENIGNISSIMO

ILLVSTRISSIME ET EXCEL-LENTISSIME BARO

DOMINE BENIGNISSIME



Auſimne, BENIGNISSIME DOMINE, Pantheo huic Aegyptiorum, quod publicae luci expono, Illuſtriſſimum TVVM, et terris noſtris auſpicatiſſimum Nomen praefigere? Equidem minime

ignoro, TE huius generis munuſcula dedignari non ſolere, quippe qui literas elegantiores ſemper amaueris, ac foueris, iisque pretium ſuum ſtatuere, mature didiceris; ſed ego tamen, cui Prouincia longe alia, a multis iam annis demandata eſt, dum librum hunc de Religione Diisque veterum Aegyptiorum, TIBI humillime offero, extra oleas vagatus eſſe, non abs re videri potero. Adſunt tamen rationes non inidoneae, quas ad tuendum hocce meum conſilium afferre poſſum, quasque nec TV ipſe, ILLVSTRISSIME DOMINE, pro innata TIBI aequitate et indulgentia improbabis. Nam profecto argumentum hoc, cui illuſtrando operam meam qualemcunque impendi, attentione Theologi Chri-

Chriſtiani indignum cenſeri nec debet, nec poteſt. An non permulti hodie Theologiam naturalem, ſoli rationis dictamini innixam, vltra modum omnem extollunt, ipſique Reuelationi diuinitus acceptae, cum ſummo huius dedecore, ac detrimento, anteponendam eſſe ſomniant? Quid vero ad horum hominum audaciam, dicam an veſaniam, pro merito retundendam aptius cogitari poteſt, quam ſi doctrinae Theologicae gentium politiſſimarum, quam ratiocinando ſibi conſtruxerunt, color illitus detrahatur, et natiua facies, ac genuina ſed miſerrima indoles, oculis omnium nuda ſiſtatur? Id vero eſt, quod in Pantheo facere conatus ſum. Expoſui ratiocinationes Theologorum Aegyptiorum,

quorum ſapientiam totus olim orbis admiratus atque aemulatus eſt, vt ex iis colligi queat, quid ratio ſibi ſoli relicta, luceque Reuelationis diuinae deſtituta poſſit, et quae ſint eius in diiudicandis diuinis rebus vires. Deinde vero nec hoc praetermittendum eſſe duco, primas Operis huius lineas, ductas a me iam fuiſſe, A. P. C. N. MDCCXXI, quo tempore linguas ſanctiores, quibus diuina Reuelatio Veteris et Noui Teſtamenti conſignata eſt, publice docendi et tradendi munus hic mihi incumbebat. Accidit, vt eodem anno, in conſortium Academiae Regiae ſcientiarum Berolinenſis cooptarer, eaque occaſione, hortatu amicorum quorundam iam beatorum, La Crozii praeſertim et Vi-

GNOLII, laborem hunc, cui finem nunc impoſui, exantlandum in me ſuſciperem. Verum enim vero, cum breui poſt noua munera, aliaque negotia ſuperueniſſent, labor ille tenebris perpetuis nocteque aeterna iacuiſſet obrutus, et veluti ſepultus, niſi ante paucos annos, rationes grauiſſimae abſolutionem operis olim inchoati ſuaſiſſent, aut potius inuito extorſiſſent.

Accipe igitur ILLVSTRISSIME DOMINE, CVI totius vitae omniumque actionum rationem reddere teneor, accipe inquam et hoc Munuſculum perquam tenue et leuidenſe, fronte ſerena, etqua ſoles aequitate, illud exanimo offerentis aeſtima. Deus vero TE, ILLVSTRISSIME DOMINE, Eccleſiarum

noſtrarum Columen, Reipublicae Ornamentum decusque praecipuum, meum Praeſidium, quam diutiſſime ſoſpitem et incolumem conſeruet. Ita ex intimo pectore vouet et precatur

ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME BARO

DOMINE BENIGNISSIME

NOMINIS TVI ILLVSTRISSIMI

Dabam Francofurti
ad Viad. D. 1. Maii
MDCCLII.

Humillimus et obſequentiſſimus cultor

PAVLVS ERNESTVS IABLONSKI.

DE
DIIS AEGYPTIORVM
LIBER III.

De Luna iiſque Numinibus, quae ad Lunam referuntur.

CAPVT I.

De Iſide magna Aegyptiorum Dea, id eſt Luna.

Iſis Aegyptiis Numen fuit omnium maximum. §. 1. Lunam illi dixerunt *Iob*, et ſub nomine hoc primitus, et ab ipſis, et ab Argiuis, culta fuit. §. 2. Nomini *Iob*, apud Aegyptios ſucceſſit aliud, ſymbolicum, *Iſis*, quo pariter Sacerdotes *Lunam* ſubinnuere voluerunt. §. 3. Hinc ratio patet, ob quam Iſidem Aegyptii reliquis Diis antepoſuerint. §. 4. Eadem de cauſa, Iſidi, tanquam cauſae efficienti, tribuebantur incrementa Nili fluuii. §. 5. Quod ex doctrina phyſica Aegyptiorum diſtinctius explicatur. §. 6. Iſidis nomine Aegyptii quoque ſubinnuebant Terram. §. 7. Cuius rei ratio explicatur. §. 8.

Per Iſidem Aegyptii praeterea intelligebant Naturam rerum ſublunarium omnium. §. 9. Qui vero Iſidem cum Neitha, ſeu Minerua, confundebant, et recentiores Philoſophi Graeci, eam pro Natura etiam rerum vniuerſa habebant. §. 10. Fabularum de Iſide ſacrarum explicatio hic omittitur. §. 11. Interpretationes nominis *Iſis*, ex graeco, hebraico, et arabico ſermone, petitae reiiciuntur. §. 12. Et quae ex lingua veteri aegyptiaca petitae eſſe, falſo iactantur. §. 13. Noſtra de ſignificatione nominis huius ſententia. §. 14. 15.

§. 1.

Iſis Aegyptiis Numen fuit, omnium maximum.

Oſiridem, ſiue *Solem*, cuius varia nomina, cognomina, et cultum, Libro ſuperiori expoſuimus, ſubſequitur nunc *Iſis*, eiuſdem et ſoror, et vxor, et mater quoque, qua nihil aliud indicare voluiſſe Aegyptiorum Sapientes, quam *Lunam*, eiuſque diuerſa, cum attributa, tum effecta, et ſaepe antehac monuimus, et Libro hoc pluribus oſtendemus. Idque vel ex eo intelligere quiuis poteſt, quod Deorum omnium, quos vetuſta Aegyptus idololatrica coluit, *Oſiris*, *Iſis*que, habiti ſemper fuerint ſanctiſſimi et maximi, et omnium etiam religioſiſſime a cunctis culti. Tempore certe HERODOTI, quo religio Aegyptiorum, admiſtione quadam Sacrorum peregrinorum, nondum vehementer adulterata erat *, ſoli *Oſiris* et *Iſis*, honore aequali, ab omnibus accolis Nili colebantur, eoque reliquorum Deorum turbam antecellebant. Ea etiam de cauſa, PLVTARCHVS, doctiſſimus Scriptor, librum, quo doctrinam Aegyptiorum de Sacris omnem explicare voluit, *de Iſide et Oſiride* inſcripſit. Cuius rei quaenam poterat eſſe cauſa alia? quam quod

* HERODOTVS Lib. II. cap. 42.

quod * *vetuſtiſſimi in Aegypto mortales, duos eſſe Deos exiſtimarent, aeternos et primos, Solem et Lunam, ——— hosque Deos mundum vniuerſum gubernare ſtatuerent, nutrientes et augentes omnia, —— horumque naturam Deorum, plurimum conferre ad generationem omnium, —— ideoque totum naturae vniuerſae corpus, Sole et Luna conſummari.* Et, quod mirari poſſis, non modo in cultu populari Aegyptiorum, *Oſiris Iſis*que, reliquos Deos omnes antecellebant, verum ipſi quoque *Oſiridi*, praeponi ſolebat *Iſis*. HERODOTVS igitur **, vbi de duobus hiſce maximis Aegyptiorum Numinibus loquitur, primo loco *Iſin* ponit, et huic *Oſirin* ſubiungit, non ſecus atque PLVTARCHVS in libro, quem *de Iſide et Oſiride* conſcripſit. Eſtque Scriptoribus vetuſtis tritum valde ac familiare, vt, ſicubi ad Sacra Aegyptiorum delabuntur, *Iſiorum* nomine, omnia complectantur, tanquam vno *Iſiäis* Nūmine, ac nomine, tota Aegyptiorum religio comprehenderetur. Et hoc forte dicere voluit vetus quidam Grammaticus, vbi haec ſcripſit ***: *Iſis dicitur, quaſi ſola Dea. Hoc enim Aegyptiis placet.* Id quidem, non lingua eorum docet; ſed Sacra tamen non obſcure loquuntur. Certe longe plura *Iſis* per totam Aegyptum Templa habuit, adeoque ſolennius frequentiusque a populo culta fuit, quam *Oſiris*. Cuius rei non adeo obſcurae rationes infra annotabuntur.

§. 2. *Iſidis* nomen, non cum ipſa Aegyptiorum idololatria, aut cum impio Lunae cultu natum, vel in ipſis incunabulis praui huius cultus, apud Aegyptios auditum iam fuiſſe, mihi perſuadeo. Nomina exer-

Lunam Aegyptii dixerunt Ioh, *et ſub hoc nomine primitus et ab*

A 2

* DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 10. 11.

** loc. cit.

*** IVNIVS PHILARGYRIVS, in *Virgil.* Georg. Lib. III. v. 153.

ipſis, et Argiuis, eorum colonis, culto fuit.

exercitui Coelorum, vel Aſtris, in Aegypto impoſita, primitus erant ſimplicia et ſignificationis propriae, ex communi ſermonis vſu depromta. *Solem* gens illa primo coluit ſub nomine *Solis*, *Lunam* ſub nomine *Lunae*. Vbi vero procedente tempore, Sacerdotes illius gentis, ſcientiam rerum diuinarum omnem ſibi ſolis vindicaſſent, et ad religionem, fabulas, aenigmata, et Myſteria addidiſſent, res poſtulauit, vt nominibus Deorum propriis, ex communi ſermonis vſu petitis, ſubſtituerentur alia, allegorica, aenigmatica, et Myſtica. *Solem* Sacerdotes populo, ſub nomine *Oſiridis*, adorandum propoſuerunt, *Lunam* vero ſub nomine *Iſidis*. De *Sole*, quod primis idololatriae in Aegyptum introductae temporibus, ſub nomine ΦΡΗ, (id vero *Solem* ſignificat) honoratus cultusque fuerit, * alio loco diſſeruimus. *Lunam* Aegyptii vernaculo ſermone appellant ΙΔΖ, *Ioh*, et praepoſito articulo generis maſculini, ΠΙ-ΙΔΖ, *Pi-Ioh*, nam Aegyptii, quemadmodum noſtri etiam Germani, *Lunam* deſignabant nomine generis maſculini, quod et ** veteres obſeruarunt. Verum fateri tamen cogor, me in ipſis Aegyptiorum veterum Monumentis antiquis, *Lunae* ſub nomine *Ioh* cultae, veſtigia quaequam hactenus non deprehendiſſe. Forte alius tale quid poſthaec obſeruabit. At in hiſtoria Argiuorum, qui conſenſu omnium, originis fuerunt aegyptiacae, veſtigia illius rei, quam dixi, occurrunt ſatis luculenta. Quem enim quaeſo latet *Io* Argiua, Inachi filia, ſtupro Ioui cognita, ab eodem poſtea in vaccam mutata, et in Aegyptum translata, vbi diuinos honores conſecuta, nomenque ſacrum *Iſidis* adepta eſt? Num de veritate eius, quod dixi, iure quis dubitauerit, cum fabula haecce, quondam inter Graecos, et, ſi

* Lib. II. cap. I. §. 8.

** Vide ſupra Lib. I. cap. III. §. 6.

si credimus * HERODOTO, etiam inter Barbaros celebratissima, citra ambages tradat, *Ionem* Argiuam, et *Isidem* Aegyptiam esse eandem? Inachus, qui annis circiter centum et viginti, natiuitatem Mosis anteuertisse creditur, quique Argis imperasse primus traditur, non modo gente a veteribus perhibetur Aegyptius fuisse, verum et ** ex Aegypto Mysteria, id est doctrinam de rebus diuinis secretiorem, in Graeciam inuexisse. Et certe ipsum *Inachi* nomen, ac similiter alia, tum hominum, tum locorum nomina, in historia Argiuorum antiquissima occurrentia, non melius atque certius, quam ex Aegyptiorum lingua explicari possunt. Huius Inachi filia perhiberi solet *Io*, quod tamen de Inacho aliquo *** iuniori intelligendum videtur, nisi dicere malis, *Ionem* appellari *Inachi* filiam, quia **** ab eo longa serie genus ducebat. Verum mihi, latere hic aliquid, ex Aegyptiorum consuetudine tractum, videtur. *Inachus* nomen est, et primi Argiuorum regis, et inclyti in Argolide fluuii. Et huius quidem *Inachi* fluuii filiam extitisse *Ionem*, † Poëtae fingere solent. Id vero fabulas Aegyptiorum aperte redolet ††, qui principes gentis suae Deos, Nilo flumine prognatos esse, fingere consueuerant. Narrant Graecorum fabulae, vaccae formam subiisse *Ionem*, et satis norunt, qui rerum Aegyptiacarum expertes non sunt †††, *Isidi* Aegyptiae, quippe quae

* Lib. I. cap. 1. et 5.

** EPIPHANIVS aduersus haereses p. 11.

*** Eius mentio apud HYGINVM Fab. 145.

**** Stemma Ionis, ex stirpe Inachi oriundae, videri potest, in APOLLODORI *Bibliothecae* Lib. II. init. et HYGINO, Fab. 145.

† OVIDIVS Metamorph. Lib. I. v. 583. 584.

†† Vide supra Lib. I. cap. II. §. 9. not. * et cap. III. §. 9. not. ***

††† HERODOTVS Lib. II. c. 41. DIODORVS Lib. I. p. 11. AELIANVS de Anim. Lib. X. cap. 27. PLVTARCHVS de Isíde p. 372.

Luna esset, cornua bubula, tantum non semper addi consueuisse. Sed praecipuum argumentum, ipsum *Ionis* nomen nobis suppeditat. Nam, vti dixi, Ἰὼ, *Ioh*, Aegyptiis *Lunam* significat, neque habent illi, in communi sermonis vsu, aliud nomen, quo Lunam designent, praeter IDZ. Et Argiuos quoque, Aegyptiorum quippe colonos, nomine hoc ipso nihil aliud indicasse, apertе testatur EVSTATHIVS in his *: Ἔνθα βοῦς ἦν ἐν ἀγάλματι τῆς Ἰοῦς, ἤτοι τῆς Σελήνης· Ἰὼ γὰρ ἡ σελήνη, κατὰ τὴν τῶν ἀργείων διάλεκτον. *Ibi vacca erat, imago Ionis, vel Lunae.* IO *enim sermone Argiuorum* LVNA *dicitur.* Suffragatur huic IOHANNES MALALA, in cuius *Chronographia* haec legimus, p. 27 **: Οἱ ἀργεῖοι μυστικῶς τὸ ὄνομα τῆς σελήνης τὸ ἀπόκρυφον Ἰὼ λέγουσιν ἕως ἄρτι. *Argiui Lunam nomine mystico et arcano* IO *dicunt, etiamnum hodie.* Nempe postquam apud Argiuos, linguae auitae Aegyptiacae successit graeca, Sacerdotes tamen, in Sacris quibusdam, nomen *Lunae* priscum *Io*, videntur retinuisse, quod cum vulgo ignotum esset, pro mystico haberi coepit, eiusque rei memoria Argis ad seram posteritatem dimanauit. Quando vero Graeci praeterea fingunt, *Ionem* Argiuam, in vaccam conuersam, tandem peruenisse in Aegyptum, ibique *Isidis* nomine compellatam cultamque fuisse, an non subinnuunt, *Lunam*, antea sub nomine proprio et vulgari *Ioh* cultam, seculis labentibus symbolo vaccae repraesentari coepisse, et tum symbolico quoque *Isidis* nomine donatam fuisse? Id autem, si recte coniicio, anno circiter 320, post exitum Israëlitarum ex Aegypto, contigisse, *** antehac iam monui.

§. 3.

* Commentario in *Dionysium Periegeten* v. 94. vel p. 23. Edit. Rob. Steph.

** Ita legendum. Totidem verbis haec eadem habes in *Chronico Alexandrino*, vel *Paschali*, p. 96. Edit. Raderi, vel 41. Edit. Paris.

*** Lib. II. cap. I. §. 9. et 16.

§. 3. Vel illa ipſa, quam nunc explicui, fabula Graecorum ſymbolica, et longe antiquiſſima, ſatis vnumquemque docere poteſt, *Iſidis* Numine et nomine, Sacerdotes Aegyptiorum nihil aliud voluiſſe deſignare, quam *Lunam*, magnam illam gentium fere omnium Deam. Idque etiam teſtimoniis veterum diſertis videmus confirmatum. DIODORVS *Siculus* obſeruat Lib. I. p. 10. vetuſtiſſimos Aegyptios *exiſtimaſſe, duos eſſe Deos, aeternos et primos, Solem nempe et Lunam, quorum iſtum Oſirin, hanc vero Iſin appellarint.* Idem p 22. extr. et 23. ſcribit, eandem Deam a quibuſdam dici *Iſidem*, ab aliis vero *Lunam*. Conſimiliter DIOGENES LAERTIVS talem nobis antiquam Aegyptiorum Philoſophiam ac Theologiam repraeſentat, *Solem ac Lunam Deos, alterumque Oſirin; alteram Iſin appellatos.* In *Prooemio* §. 10. Quibus iungo PLVTARCHVM, vt qui in libro, quo vniuerſam Aegyptiorum Theologiam explicare annixus eſt, *de Iſide et Oſir.* p. 372. memoriae prodiderit. *Iſidem vero eandem cum Luna eſſe pronuntiantes, etiam eadem vtramque imagine repraeſentant, in qua cornua addita, Lunae indicant illuminationes falcatas, nigrae autem veſtes, occultationes eius et obumbrationes deſignant, quibus Solem deſiderans ſectatur. Itaque et ad res amatorias Lunam inuocant: et iis rebus praeeſſe Iſidem, Eudoxus affirmat.* Sed omnium maxime hoc ipſum ex iis intelligitur, quae de *Iſide* Aegyptii praedicare, quaeue illi attribuere ſolebant, et quorum nos etiam praecipua in ſequentibus breuiter tangemus. Non valde ab hac *Iſidis* interpretatione recedunt, qui eam cum Graecorum *Cerere* conferunt, *Cereremque* appellitant. Illam enim terrae fertilitatem, quam *Cereri* ſuae, Numini maximo, Graeci in acceptis ferebant, Aegyptii adſcribebant *Lunae*, quamuis et alia comparationis huius poſſit reddi ratio, quam ſuo loco infra exponemus §. 7.

Nomini IO, ſucceſſit in Aegypto aliud, ſymbolicum ISIS, *rem eandem deſignans.*

Hinc ratio patet, ob quam Isidem reliquis Diis antepoſuerint Aegyptii.

§. 4. Ex eo iam explicari facile poterit, quamobrem Aegyptii, in Theologia populari, et in cultu publico, Iſidem cunctis Numinibus reliquis, ipſique adeo Oſiridi, praetulerint, quod iam §. 1. monuimus. Lunam enim veteres in vniuerſum, ad generationem, conſeruationem, et incrementa corporum terreſtrium omnium concurrere, exiſtimabant, quinimo hic principatum quodammodo ipſi tribuebant. * *Hoc eſſe* ſidus arbitrabantur, *quod terras ſaturet, accedensque corpora impleat, abſcedens inaniat. Ideo cum incremento eius augeri conchylia, et maxime Spiritum ſentire, quibus ſanguis non ſit. Sed et ſanguinem hominum, etiam cum lumine eius augeri ac minui: frondes quoque ac pabula* (*vt ſuo loco dicetur*) *ſentire eadem penetrante vi.* Huiuſmodi obſeruationum pleni ſunt veterum libri *de Re Ruſtica*, plena eſt hiſtoria naturalis PLINII, ne de aliis dicam, qui obiter rem eandem nonnunquam tangunt. Ab hac perſuaſione alieni non fuerunt Aegyptii, quod multis exemplis, ſi res id exigeret, probari poſſet. Ex eorum igitur doctrina ſcribit PLVTARCHVS *de Iſide* p. 367: Τὴν σελήνην γόνιμον τὸ φῶς καὶ ὑγροποιὸν ἔχουσαν, εὐμενῆ καὶ γοναῖς ζώων καὶ φυτῶν εἶναι βλαστήσεσι, *Lunam, vt quae lumen habeat genitabile et humectans, proſperam eſſe et animalium procreationi, et ſtirpium pullulationi.* Neque minus eandem ad generationem quoque corporis humani conferre plurimum, veterum erat opinio. Hinc enim eſt, quod IVLIVS FIRMICVS in *Praefatione* Libri V. *Matheſeos*, ſic eam alloquitur: *Tuque Luna, etiam humanorum corporum mater.* Nec aliam ea de re fuiſſe ſententiam Aegyptiorum, ex hac ipſorum fabula aenigmatica colligere licet, ** *Hori, cum is eſſet in iudicio damnatus, Spiritum et ſanguinem*

* PLINIVS Hiſt. Natur. Lib. II. cap. 99.

** PLVTARCHVS de Animae procreatione e *Timaeo* p. 1026.

nem patri, carnem et adipem matri fuiſſe adiudicata. Habuerat igitur Horus ab *Oſiride* patre, id eſt *Sole*, Spiritum et ſanguinem. Erat enim haec Aegyptiorum perſuaſio, * cor ſedem eſſe Animae, eamque ſanguine veluti nutriri. Sed a matre *Iſide*, id eſt *Luna*, carnem et pinguedinem acceperat Horus. Rem hanc eandem Aſtrologi verbis planis et perſpicuis ita exprimere ſolebant, ** *Solem auctorem et dominum eſſe Spiritus, Lunam corporis.* Et credibile eſt, ad hanc Aſtrologorum doctrinam, ab Aegyptiis acceptam, FIRMICVM reſpexiſſe. Ex DIODORO etiam hanc Aegyptiorum doctrinam, retulimus §. 1. *Solem et Lunam Mundum vniuerſum gubernare, nutrire et augere, hosque Deos ad generationem omnium plurimum conferre.* Gemina his ſunt, quae leguntur apud *** veterem Grammaticum; in haec verba: *His duobus reguntur omnia terrena, calore quidem Solis per diem, humore vero Lunae per noctem. —— Penes ipſam et corporum omnium ratio eſſe dicitur et poteſtas.* Similia tradit PROCLVS Lib. I. in Timaeum p. 15. vnde haec adſcribemus: Πᾶσα γὰρ ἡ γένεσις ἐκ τε ἡλίου κυβερνᾶται καὶ σελήνης, μειζόνως μὲν ἀπ' ἐκείνου καὶ πατρικῶς, δεύτερα δὲ ταύτης δευτέρως. *Omnis enim generatio a Sole et Luna procuratur et diſpenſatur; ſed ab illo tamen primario, ac veluti a patre, ab hac vero ſecundario.* PROCLVS equidem in omni generatione et Prouidentia rerum ſublunarium, Principatum tribuit Soli, et locum ab hoc tantum ſecundum Lunae. Verum in cultu Aegyptiorum populari, honor primarius ac praecipuus Iſidi ſiue Lunae

* HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. cap. VII.

** SELDENVS de Diis Syris Syntag. I. cap. I. p. 92. et SALMASIVS de Ann. Climacter. p. 125. Adde omnino MACROBIVM Saturnal. Lib. I. c. XIX. fin.

*** *Interpres* antiquus *Horatii* Cruquianus ad Carmen Seculare p. 299. a.

deferri ſolebat, eo quod ſibi perſuaderent, bona omnia huic terrae, per Lunam, tanquam cauſam eorum proximam et immediatam diſpenſari. Etenim Aegyptii, * *Lunam mundi matrem appellabant, et naturam ex vtroque mixtam ſexu ei adſignabant, quod impleta et grauida facta a Sole, rurſum ex ſe in aërem emittat ac diſſeminet genitabilia principia.*

Eadem de cauſa. Iſidi tanquam cauſae efficienti, tribuebantur incrementa Nili.

§. 5. Accedit ad haec, quae dixi, et iſta Iſidis tam impenſe ab Aegyptiis cultae ratio, quod incrementa Nili, quibus fertilitatem ſuam omnem debet Aegyptus, ab illius Numine, ceu cauſa proxima, plerique deriuarent. Eam in animo ſine dubio habuit PINDARVS, ** vbi mentionem fecit *Daemonis*, vel *Numinis Nilo praeſidentis*, et ſecutus hunc PHILOSTRATVS, qui in deſcriptione imaginis cuiuſdam, Nilum repraeſentantis, ita ſcribit: *** Ἐν Αἰθιοπίᾳ, ὅθεν ἔρχεται Νεῖλος, ταμίας αὐτῷ δαίμων ἐφέστηκεν, ὑφ' ᾧ πέμπεται ταῖς ὥραις σύμμετρος. *In Aethiopia, vnde delabitur Nilus, moderator ipſi adſtat Daemon, a quo ſuis conſtitutis temporum vicibus tempeſtiue mittitur.* Ille vero *Daemon*, ſiue Deus, incrementorum Nili moderator, alius non eſt, quam *Iſis*. Apud LVCIANVM igitur, in Deorum dialogis, Iupiter, Ionem in Aegyptum miſſurus, vt illic nomine *Iſidis* honoretur, hanc ipſi tribuit praerogatiuam. † Τὸν Νεῖλον ἀναγέτω. *Nilum excitet atque attollat.* Eo ſpectant et haec SERVII ††: *Iſis eſt genius* (δαίμων) *Aegypti, qui per ſiſtri motum, quod gerit in dextra, Nili acceſſus, receſſusque ſignificat: per ſitellam, quam ſiniſtra manu retinet, oſtendit ad-*

* PLVTARCHVS de Iſide p. 368.

** Apud PHILOSTRATVM in *vita Apollonii Thyanei* Lib. VI. cap. XII.

*** In *Iconibus* Lib. I. p. 737. Edit. Morelli.

† Operum T. I. p. 124. Edit. Salm.

†† in *Virgilii* Aeneid. Lib. VIII. v. 696.

adfluentiam omnium lacunarum. Ex eo ſane orta eſt fabula illa vulgaris, quae erat in ore omnium Aegyptiorum, * *lachrymas Iſidis efficere, vt quotannis Nili aquae augeantur, et agros Aegyptiorum copioſe irrigent.* Et ſacrae hae Iſidis lachrymae, quae Nilum excitabant, eoque Aegyptum tot tantisque beneficiis implebant, incolis illius regionis adeo charae erant, et exoptatae, ** vt earum memoriam, quouis anno ſolenniter celebrarent. Tangit rem eandem LVTATIVS Grammaticus non indoctus, in *Scholiis* ad *Statii Thebaid.* Lib. I. 265. vbi *Coptos*, inquit, *eſt ciuitas Aegypti, in qua Io verſa in Iſidem colitur: cuius Sacris, ſiſtro celebratis, Nilus exaeſtuat.* Et poſt pauca interpoſita: *Prouentum fructuum Aegyptii quaerunt vſque ad veros planctus. Nam irrigatio Nili ſupradictorum fletibus imploratur.* Id tantum hic venit monendum, Scriptorem hunc, non indoctum, vt dixi, errore quodam, vt videtur, μνημονικῶ, id tribuere lachrymis incolarum Aegypti, quod ipſi quidem, ſacris Iſidis ſuae lachrymis, in acceptis ferebant. Per lachrymas vero Iſidis intelligo effluuia quaedam Lunae, quibus talem vim videntur tribuiſſe Aegyptii. Videtur autem ſuperſtitio haec popularis, adeo animis Aegyptiorum olim omnium inſediſſe, tamque altas apud eos radices egiſſe, vt ne poſt extinctam quidem in illa regione per Chriſtianos, ac Mahumedanos, priſtinam idololatriam, potuerit euelli. Poſtquam nulla amplius in Aegypto Iſis colitur, *** incolae tamen firmiter ſibi perſuadent, certo per annum die, *guttam* cadere, quae fermenti inſtar aquas Nili augeat, vt ab illo die adſcendere incipiat, idque etiam

* PAVSANIAS in *Phocicis* p. 881.

** SYNESIVS de Prouidentia p. 111. Edit. Petauii, qui tamen lachrymas illas non recte interpretatur.

*** Vide *Miſcellanea Berolinenſia*, T. VII. p. 431.

etiam satis diu, peregre in Aegyptum aduenientes, incolis credidere. Quidnam vero, fabula hac symbolica, re ipsa gentis illius Theologi ac Philosophi innuere voluerint, ex obseruationibus eorum de incremento Nili, intelligi potest, idque Scriptores nonnulli veteres nos docebunt. Erat nempe ea Aegyptiorum sententia, permagnum et valde efficacem esse Lunae, cum in res terrestres omnes, tum maxime vero in Nilum, eiusque augmenta influxum. Erat itaque Elephantinae, in finibus Aegypti superioris, signum aliquod symbolicum visendum, quo subinnuebatur, * *magnam esse in signo arietis, adeoque Veris principio, Lunae vim ad cogendas eliciendasque aquas.* Itaque ** ab illo tempore, initia incrementi Niliaci expectabant, et numerare quodammodo incipiebant Aegyptii. Vera autem fluuii huius incrementa, quae oculis subiici iam possent, a primo Nouilunio aestiuo expectabant. Discimus id a PLINIO, cujus haec sunt verba Lib. XVIII. c. 18: *In Aegypto Nilus coloni vice fungens, euagari incipit Solstitio et noua Luna: ac primo lente, deinde vehementius.* Dixerat idem Lib. V. c. IX; *Incipit crescere Luna noua, quaecunque post Solstitium est.* Quibus iungere possumus haec SOLINI c. 35. ex Editione Salmas. *Nonnulli affirmant, fontem eius, qui Phialus vocatur, siderum motibus excitari, —— non tamen sine certa legis disciplina, hoc est Lunis coeptantibus.* Itaque ex sententia Aegyptiorum, vera Nili incrementa a noua Luna pendebant ac procurabantur. Credebant porro Aegyptii, modum et mensuram incrementi Niliaci, mirificam habere ad Lunam, eiusque vicissitudines relationem, ita, *** *vt incrementa mutationibus*

* EVSEBIVS Praep. Euang. Lib. III. cap. XII.
** Vide supra Lib. II. cap. II. §. 7.
*** PLVTARCHVS de Iside p. 368. ARISTIDES in *Aegyptio* fol. 92. a. Edit. graec.

tationibus lucis in Luna reſponderent. Maximum enim Nili incrementum, apud Elephantinen, dicebant *eſſe cubitorum 28, quot dies ſunt menſtruae circuitionis Lunae, apud Mendetem et Xoin, vbi eſt minimum, cubitos aequare 6, quot diebus Lunae orbis ſit dimidiatus. Medium apud Memphim, ſi iuſtum ſit, 14 cubitis conuenit, et reſpondet tempori plenilunii.* Quia igitur haec erat Aegyptiorum perſuaſio, Iſidem aſſerebant incrementa fluuii ſui efficere et moderari.

Id ipſum ex doctrina Aegyptiorum phyſica diſtinctius explicatur.

§. 6. Antequam ad alia progrediar, abs re non fuerit, breuiter monuiſſe, veram cauſam mirabilis incrementi anniuerſarii Niliaci, antiquis ignotam non fuiſſe, eosque rem hanc omnem, a Sacerdotibus Aegyptiis didiciſſe. Non aliter hi, rationes incrementi illius explicabant, atque nunc docti homines noſtri Aeui, niſi quod in illorum doctrina, *Iſis* ſiue *Luna* interueniret. Nam illi beneficium hoc inſigne in acceptis ferebant. MARSHAMO aſſentiri prorſus non poſſum, * aſſeueranti, cauſam veram incrementi Niliaci, Sacerdotibus Aegyptiorum minus cognitam, Graecos primum inueſtigaſſe, quantumuis HERODOTVM atque STRABONEM, idem ſentientes adduxerit. Non inuitus quidem largior, paucos tantum fuiſſe in Sacerdotum ordine, de tota hac re bene pleneque edoctos, illos nempe, qui Scientiis Sacris omnibus, rite erant initiati, vnde euenit, vt plerique, peregrinis ſciſcitantibus, ſatisfacere nequiuerint. Id forte HERODOTVS expertus eſt, quem MARSHAMVS ad teſtimonium vocat. Credo etiam, illos ipſos Sacerdotes, quibus ratio omnis incrementi Nilotici, cognita recte et perſpecta erat, eam tamen aliis non ſemper aperuiſſe; ſed plerosque ratiunculis illis falſis, quas eruditorum in Aegypto vulgus proferre ſolebat et probare, ludificaſſe. Id ratio inſtitutionis Myſti-

* In *Canone Chronico*, p. 80. 81.

Myſticae, apud Sacerdotes Aegyptios receptae, ſecum vehebat et exigebat. At non facile quisquam mihi perſuaſerit, Scribas Sacrorum, Myſteriis rite initiatos, origines Nili, veraſque incrementi illius cauſas ignoraſſe. Norunt hodie omnes, qui id ſua intereſſe putant, in Aethiopia, quam et Habeſſiniam vocamus, a Menſe Martio, vſque ad Septembrem, pluuias cadere continuas, et plerumque vehementes valde, easque eſſe cauſam veram et proximam incrementi Niliaci: has vero pluuias produci e nubibus, quas ventus Septentrionalis, in Aegypto tempore eodem continuo ſpirans, ſecum vehit, et in Aethiopiam protrudit, vbi tandem in pluuias reſoluuntur. Quod iam ad prius attinet, quod ſcilicet pluuiae, tanta copia, verno et aeſtiuo tempore in Aethiopia cadentes, vera ſint incrementi Niliaci cauſa, id Sacerdotes Aegyptios minime latuit. Si * MARSHAMVS rem acu tetigit, AGATHARCHIDES *Cnidius*, qui floruit, regnante in Aegypto Ptolemaeo Philometore, veram incrementi Niliaci cauſam primus literis mandauit, quam ab aliis Graecis acceperat. Scribit autem is,** *in montibus Aethiopiae, pluuias quotannis continuas eſſe, ab aeſtiuo Solſtitio, vſque ad Aequinoctium autumnale, eſſeque rationi conſentaneum, Nilum hyeme contrahi, quando a Solis fontibus naturaliter procurrit, aeſtate autem ab effuſis imbribus increſcere.* Et poſt Agatharchidis aetatem, id ipſum, ab aliis Graecis pluribus, obſeruari et tradi videmus. Verum Agatharchide hoc, haud paulo antiquior, EVDOXVS, magnus Aſtronomus, rem eandem quoque memoriae prodidit, et quidem acceptam a Sacerdotibus Aegyptiis. Id enim EVSTATHIVS, inclytus Homeri interpres, hunc in modum teſtatur: *** Ἐκ τῶν ἐν Αἰθιοπίᾳ

* *Canone Chronico* ad Seeul. V. p. 82.
** Apud DIODORVM *Siculum*, Lib. I. p. 39.
*** In *Homeri* Odyſſeae Lib. IV. p. 1505. Edit. Rom.

Αἰθιοπίᾳ γινομένων θέρεσ σφοδρῶν ὑετῶν πληροῦται Νεῖλος, ὡς φησὶν Ἀριστοτέλης καὶ Εὔδοξός φασι· λέγοντες πεπύσθαι τοῦτο ἀπὸ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ Ἱερέων. *Ex imbribus, qui per aeſtatem in Aethiopia cadunt vehementibus, Nilus augetur, ſicut affirmant Ariſtoteles et Eudoxus, dicentes, ſe id ex ſermone Sacerdotum Aegyptiorum didiciſſe.* Poſtremum hoc de Eudoxo proprie accipiendum eſt, quem ſcimus, * per annos tredecim, Sacerdotibus in Aegypto familiariter vſum, eorumque diſciplina imbutum fuiſſe. Et ea, quae de rebus Aegyptiorum tradidit, plerumque talia ſunt, vt librorum illius iacturam non poſſim non aegerrime ferre. Ab Eudoxo, aut forte a Platone, qui cum Eudoxo in Aegypto Sacerdotes audiuit, id videtur Ariſtoteles accepiſſe, etſi ** STRABO nominet quendam Thraſyalcen, a quo id habuerit. Et quomodo res haec potuiſſet latere Aegyptios, vicinos Aethiopum, et frequentia cum iis commercia exercentes, ſi cognita fuit Graecis, tanto terrarum et marium interuallo, ab Aethiopibus ſemotis. Quicquid Graeci ea de re cognitum habuerunt; non videntur niſi per Aegyptios diſcere potuiſſe. Poſterius pariter, quod nimirum imbrium in Aethiopia, ad augendum Nili aquas cadentium, vera cauſa ſit ventus Septentrionalis, nubes eo impellens, veteribus non minus atque nobis, probe perſpectum fuit. Docet hoc PLINIVS Lib. V. c. 9: *Cauſas huius incrementi varias prodidere ——— imbres Aethiopiae aeſtiuos, iiſdem Eteſiis* (id eſt ventis Septentrionalibus) *nubila illo ferentibus e reliquo orbe.* Similia habet MELA Lib. I. c. IX: *Creſcit Nilus ——— quod per ea tempora flantes Eteſiae, atlas a Septentrione in meridiem nubes, ſuper principia eius praecipitant.* Et ita*** alii quoque

* STRABO Lib. XVII. p. 554.
** Lib. cit. p. 543.
*** PLVTARCHVS de Iſide p. 366. C. D.

que rem exponunt. Neque vero ab illis diſſenſiſſe Sacerdotes Aegyptios, iam iam videbimus. Recte prorſus et vere, vir quidam peringenioſus et egregie doctus, Aegyptiorum de tota hac re obſeruationes et ſententiam, hunc ad modum repraeſentauit: * *Ex plurium annorum experientia obſeruauerant Aegyptii, incrementa Nili ſemper praecedere Eteſias, quae, dum Sol cancrum tranſit, a Septentrione verſus meridiem flantes, nubes in Aethiopiam, vnde Nilus oritur, protrudebant, ibique in vnum cogebant, vnde pluuiae eliciebantur copioſiſſimae, quae fluuium vehementer augebant, eoque in Aegyptum ſummam abundantiam inuehebant; etiamſi pluuia nulla irrigaretur. Forſitan hanc rerum ſeſe ſubſequentium ſeriem non ita diſtincte percipiebant, atque ego illam nunc deſcripſi. Verum id ſaltem ex continua experientia certo ſciebant, flatum Eteſiarum, vel ventorum Septentrionalium, ſemper ſequi exundationem Nili, et hanc eſſe vel maiorem vel minorem, prouti impetus venti iſtius eſſet vel fortior vel remiſſior, et pro ratione durationis illius.* Haec vir eximius de primis Aegypti incolis obſeruat, et iſta eorum ſcientia, labentibus annis, accedente quippe noua ſemper experientia, noua quoque ſubinde cepit augmenta. Sciuerunt igitur Aegyptii, inundationem Nili, eiusque diuerſos gradus, pendere ex impetu ventorum Septentrionalium, ceu vera cauſa. Ea vero ipſis etiam ſedebat ſententia, *Iſidem* ſiue *Lunam* ventos hos diſpenſare ac temperare, vnde patet, ex doctrina eorum phyſica explicandum eſſe, quamobrem Nili augmenta, ad Iſidem, tanquam cauſam eorum efficientem referrent. Ex illa doctrina Aegyptiorum phyſica repetendum eſt, quod apud LVCIANVM, Iupiter de Ione ita loquens introducatur: ** Τὴν δὲ Ἰὼ

* Mr. PLVCHE Hiſtoire du Ciel Part. I. p. 34. Edit. primae.

** In Dialogis Deorum T. I. Opp. p. 123. 124. Sunt autem verba Iouis ad Mercurium.

Ἰὼ διὰ τῦ πελάγυς ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀπαγαγὼν Ἶσιν ποίησον. Καὶ τὸ λοιπὸν ἔσω θεὸς τοῖς ἐκεῖ. Καὶ τὸν Νεῖλον ἀναγέτω, καὶ τὰς ἀνέμυς ἐπιπεμπέτω. *Ionem vero per pelagus in Aegyptum abducens, Iſin facito. Sit illa deinceps Aegyptiorum Dea, Nilumque augeat, et ventos illi immittat.* Apud eundem, Zephyrus ventus haec ad Mercurium fatur: * Ἡμῶν ἔσαι δέσποινα, ὅντινα ἂν ἡμῶν ἐθέλῃ ἐκπέμψαι, ἢ κωλύσαι ἐπιπνεῖν. *Erit Iſis noſtra* (ventorum) *domina, vt quemcunque noſtrum volet, emittat, vel prohibeat ſpirare...* Hic eſt Stylus Theologiae Aegyptiorum mythicae et ſymbolicae. Planis vero et perſpicuis verbis id ita declaratur: ** *Vulturis ſpecie*, quae Aegyptiis ſymbolum erat Iſidis, *ſignificant, Lunam vim gignendi ciendique ventos habere.* Neque tamen hoc Aegyptiis proprium aut peculiare fuiſſe, cenſeri debet. Nam et *** Graecorum Aſtronomi credebant, ex poſitu Lunae pendere, vt hic vel ille ventus ſpiraret, vtque impetus illius eſſet, modo fortior, modo vero etiam lenior. Niſi modo hoc acceperunt ex Aegyptiorum obſeruationibus et diſciplina.

§. 7. Vti vero *Oſiris* maritus Iſidis, in Aegypto non modo colebatur *coeleſtis*, *Sol* videlicet; verum et *terreſtris*, ſiue *Nilus*, quippe † quem Aegyptii haberent pro quodam *Oſiridis* defluxu, eaque de cauſa, in Sacris eum *Oſiridis* nomine nonnunquam inſignirent, ita iidem praeter *Iſidem coeleſtem*, quae *Luna* eſt, religioſe quoque colebant *terreſtrem*, iplam

Iſidis nomine Aegyptii quoque ſubinnuebant terram.

* In Dialogis Marinis, ibid. p. 199.

** EVSEBIVS Praepar. Euang. Lib. III. cap. XII.

*** GEMINVS in Elementis Aſtronomiae p. 7. Edit. Petau. VIRGILIVS Lib. I. Georg. 430. 431. PLINIVS Lib. XVIII. c. 35.

† Vide ſupra Lib. II. cap. I. §. 4.

ipſam ſcilicet *terram*, quae proinde *Iſidis* nomine quoque deſignabatur. * Πρὸς τὰς Μύσας, inquit HELIODORVS, Ἴσιν τὴν γῆν, καὶ Ὄσιριν τὸν Νεῖλον καταγγέλλεσιν. *Myſteriorum periti Iſin terram, Oſirin vero Nilum eſſe affirmant.* Idem MACROBIVS docet Saturn. Lib. I, c. XXI: *Nec in occulto eſt, neque aliud eſſe Oſirin, quam Solem, nec Iſin aliud eſſe, quam terram.* Et eodem Libro cap. XX. fin. *Iſis eſt vel terra, vel natura rerum ſubiacens Soli.* Et ſic ** alii quoque. Quin imo, ſi vera narrat SERVIVS, nil niſi hoc, nomen *Iſidis*, lingua Aegyptiorum ſignificabat. *** *Iſis*, inquit, *lingua Aegyptiorum eſt terra: quam Iſin volunt eſſe.* Eoque referri poteſt, quod, † ſicuti veteres obſeruant, *bos* Aegyptiis *terrae* ſymbolum fuerit. Et vero oppido notum tritumque eſt, Aegyptios ſymbolo bouis foeminae, vel vaccae, *Iſidem* plerumque deſignaſſe. Dubium mihi non eſt, quin hac praecipue de cauſa, Graeci *Iſidem* Aegyptiam, cum *Cerere* ſua comparare, eamque *Cereris* nomine, vt plurimum inſignire ſolerent. Ipſe HERODOTVS *Iſidis* Numen ita interpretatur ††: Ἶσις δέ ἐστι κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν Δημήτηρ. *Eſt autem Iſis Dea illa, quae a Graecis* Δημήτηρ (id eſt *Ceres*) *appellatur.* Interpretationem hanc ſequuntur ††† ex Graecis plerique, vbi Deae illius mentionem iniiciunt. *Cereris* vero nomen

* Aethiop. Lib. IX. p. 424. Edit. Bourdelot.

** ORIGENES aduerſus Celſum Lib. V. p. 257. DIODORVS Lib. I. p. 11. et alii.

*** In L. VIII. Aeneid. 696. Sic etiam ISIDORVS Origin. L. VIII. cap. XI.

† PLVTARCHVS de Iſide p. 366. MACROBIVS Saturnal. Lib. I. cap. XIX.

†† Lib. II. c. 59.

††† DIODORVS p. 21. extr. STEPHANVS in voce Βούσιρις CLEMENS *Alexandrinus* Lib. I. Strom. p. 322. ex LEONE Aegyptio, vt alios taceam.

men et Numen Graeci hunc in modum interpretantur: * Δήμητρα οἱονεὶ γῆς μητέρα ἔσαν, *Cererem Graeci* Δήμητρα *nominarunt, quasi dicas matrem terrae.* Alii nomen hoc ita explicant: ** Δημήτης παρὰ τὸ γῆ καὶ τὸ μήτης, γημήτης. *Ceres Graecis dicitur* Δημήτης, *videlicet a* γῆ, *quod est terra, et* μήτης, *quod matrem sonat.* • *Est enim ipsa mater terra*, id est *terra*, quae omnia producit, nutrit, alit. Faciunt huc ista LVCRETII de rerum Natura Lib. V. 796:

Linquitur, vt merito maternum nomen adepta
Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.

Eodem modo de *Iside* Aegyptiorum, loquuntur etiam Graeci, Aegyptios nempe secuti: *** Οἱ σοφώτατοι Αἰγύπτιοι, inquiunt, θεῶν ἀπόγονοι, γῆν μητέρα καταλαμβάνουσι. *Aegyptii mortalium sapientissimi, Diis quippe progeniti, terram matrem esse intelligunt.* Vbi de *Iside* sermo est, quam in Sacris Aegyptiorum, *matrem* dici consueuisse †, aliunde etiam nouimus. Neque tamen existimandum est, vnum idemque esse per omnia *Cereris* Graecae, et *Isidis* Aegyptiae Numen, aut idem omnino de *Iside* sua praedicasse Aegyptios, quod de *Cerere* Graeci. Contrarium enim res ipsa loquitur. Optime DIODORVS p. 13. ex mente Graecorum ait, τὴν Ἶσιν μεθερμηνευομένην ἐγγύς πως Δήμητραν εἶναι, *Isidem, si eam graece interpretari velis, proxime ad Cereris Numen accedere.* Nam per *Cererem* Graecorum

* PHVRNVTVS de natura Deor. cap. 28.
** Auctor *Etymologici Magni* in hac voce, et sic plurimi alii.
*** Pseudo-CALLISTHENES, in vita Alexandri M. apud FABRICIVM Bibl. Graec. Vol. XIV. p. 148.
† PLVTARCHVS de Is. p. 374. DIODORVS p. 11.

rum Theologi intelligebant fertilitatem, et bonorum copiam, terrae a Diis conceſſam, et idem fere Aegyptiis ſignificabat *Iſis*, vbertatem nempe et fructuum abundantiam, quae a Luna in terram deriuaretur.

Illius rei ratio explicatur.

§. 8. Poſſet quis ſuſpicari, rationem ob quam Aegyptii terram, nomine *Iſidis* vel *Lunae* inſignendam eſſe cenſuerint, ex dogmatibus ipſorum arcanis philoſophicis repetendam eſſe. Docemur namque * a PROCLO, τὴν σεληνιακὴν σφαῖραν, αἰθερίαν γῆν καλεῖσθαι παρ' αἰγυπτίοις, *Aegyptios ſphaeram lunarem vocare terram aetheream.* Ab his idem iſtud procul dubio acceperunt ** *Phyſici, qui Lunam aetheream terram vocauerunt.* Lunam ergo crediderunt Aegyptii corpus eſſe opacum, terrae noſtrae non multum diſſimile. Sicuti igitur illam vocare ſolebant terram coeleſtem, ita pariter terram, quam eiuſdem cum Luna naturae indolisque eſſe volebant, nuncupare potuerunt Lunam, ſed terreſtrem. Certe Pythagoraei, qui id videntur hauſiſſe ex diſciplina Aegyptiorum, dicebant ***, terram noſtram eſſe, ἓν τῶν ἄστρων, *vnum ex Aſtris*, id eſt *Planetis*, et Lunae perſimilem. Sed vera traditionis huius Aegyptiacae ratio eſt, quam verbo tetigi §. 7, quod a Luna in terram noſtram bona omnia deriuari, eamque fertilitatis et vbertatis, mundum laetificantis, atque per Nilum in Aegyptum ſe diffundentis, cauſam eſſe proximam, firmiter tenerent. Itaque *Iſidis* nomine non deſignabant totum terrarum orbem; ſed Aegyptum tantum, cui ceu vxori, Oſiris-

* Lib. I. in Timaeum Platonis p. 45.

** MACROBIVS in Somnium Scipionis Lib. II. cap. XI. p. 41. et cap. XIX. p. 65.

*** SIMPLICIVS Lib. II. in Ariſtotelem de Coelo fol. 124. a. et b.

Oſiris terreſtris, vel Nilus, ſe iungeret, quamque congreſſu ſuo fertilem redderet. Vide §. 7. *Aegyptiis*, inquit PLVTARCHVS, de Iſide p. 363. *Nilus eſt Oſiris, qui cum Iſide, id eſt terra, congreditur.* Quin imo, vt auctor idem nos docet p. 366. *corpus Iſidis terram putant, non vniuerſam; ſed quam Nilus inuadens ac coiens foetam reddit.* Nam partem Aegypti ſterilem ac aridam, Nilo quippe inacceſſam, non *Iſidis* nomine cenſebant, verum *Nephthyn* appellabant, quod PLVTARCHVS pariter docet, et nos pluribus explicabimus Libro V. Quando igitur *Iſin* Aegyptii vocitabant *terram*, facile eruditi perſpiciunt, ipſos hoc nomine non adeo ipſum terrae corpus intellectum voluiſſe, quam abundantiam potius, et laetiſſimam fertilitatem, quae Lunae beneficio, ad terram permanaret. *Luna* enim ex Aegyptiorum ſententia erat * ἡ κυρία τῆς γῆς θεὸς, *Dea quae terrae dominium et praeſidium ſibi vindicaſſet.*

§. 9. Verum ne hic quidem ſubſtitit Aegyptiorum ſuperſtitio. Nam Iſidis Numen, etiam ad vniuerſam rerum omnium naturam tranſtulerunt Aegyptii. Teſtatur id MACROBIVS Lib. I. Saturn. cap. XXI. *Iſis nihil aliud eſt, quam terra, naturaue rerum.* Et cap. XX. fin. *Iſis eſt vel terra, vel natura rerum ſubiacens Soli.* Similiter ATHENAGORAS in Supplicatione pro Chriſtianis p. 24. Edit. Pariſ. Τὴν Ἶσιν φύσιν αἰῶνος, ἐξ ἧς ** πάντες ἔφυσαν, καὶ δι' ἧς πάντες εἰσι, λέγουσι. *Iſin dicunt eſſe naturam aeui, ex qua nata ſunt omnia, et per quam omnia exiſtunt.* Tale Numen Graecia quoque coluit, eiusque in Sacris illius Gentis, mentio ſaepe deprehenditur. In Marmore elegantiſſimo, quod Apotheo-

Per Iſidem Aegyptii intelligebant etiam naturam rerum ſublunarium omnium.

* PLVTARCHVS de Iſide p. 367.

** Melius et hic, et mox, pro πάντες, legeretur πάντα.

ſin Homeri repraeſentat, conſpicitur etiam infans, in angulo extremo, cui ſubſcriptum legitur ΦΥΣΙΣ, id eſt NATVRA, ſi modo illic Natura rerum vniuerſa intelligi queat. Verum nemini dubium eſſe poteſt, quin de ea ſermo ſit * in hac Inſcriptione Gruteriana:

ΦΥCIC ΠΑΝΑΙΟΛΟC
ΠΑΝΤ. ΜΗΤ.

id eſt:

OMNIFORMIS NATVRA
OMNIVM MATER.

Eamque in nummo aereo ſcite inſculptam, cum hac inſcriptione ΦΥΣΙΣ ΠΑΝΑΙΟΛΟΣ, *Natura omniformis*, exhibet GRAEVIVS in Lection. Heſiod. cap. XVII. Antiquiores tamen Aegyptii, *Iſidis* nomine, non naturam vniuerſam videntur intellexiſſe; ſed *Lunam* tantum, et naturam rerum ſublunarium. Hinc certe eſt, quod MACROBIVS *Iſin* interpretetur *naturam rerum ſubiacentem Soli*, qui nempe in Lunam, et per hanc in res ſublunares ageret, §. 4. Similis interpretationi huic, eſt illa PLVTARCHI, de Iſide p. 372: *Iſis eſt ea naturae pars, quae quaſi foeminea, omnes in ſe recipit ortus, tanquam nutrix quaedam et commune receptáculum —— a multis dicta Myrionymos, id eſt innumeris praedita nominibus; quod ratio eam in omnes formas ſpeciesque vertat.* Concinit his egregie doctrina Aegyptiorum, qualem DIODORVS refert, ſupra iam adductus, §. 1. *totum naturae vniuerſae corpus, Sole et Luna conſummari.*

§. 10.

* GRVTERI Theſaurus Pag. XXVI. Inſcript. 7. vbi legendum, ſicuti hic editum eſt.

§. 10. Qui vero *Isidem* cum *Neitha*, vel vt volunt Graeci, Aegyptiorum *Minerua* confundunt, quod sane multi faciunt, Deam hanc naturam totius Vniuersi designare contendunt, idque non sine ratione probabili. Tale quid enim satis aperte subinnuit celeberrima Inscriptio Templi Saitici, in honorem Neithae conditi, de qua * loco alio plura diximus. Id enim, si genuina censeri potest, fere sonabat: *Quae sunt, quae erunt, quae fuerunt, ego sum. Tunicam meam nemo reuelauit. Fructus quem peperi, Sol est.* Id de *Neitha* dici ex Aegyptiorum sententia vere poterat, quia per illam intelligebant causam omnium rerum primam, a qua esset, quicquid existeret. De *Iside* vero dici idem proprie non poterat, nisi quatenus nomen illud esset paulo generalius, quod aliis etiam Numinibus, adeoque *Neithae* etiam nonnunquam tribueretur. PLVTARCHVS itaque, ** vbi inscriptionem Saiticam adfert, ait eam positam fuisse *in Templo Mineruae, quam eandem cum Iside arbitrantur.* Sic *Bubastin*, quam Graeci *Dianam* interpretantur, eandem habitam fuisse cum *Iside*, Libro hoc, suo loco ostendetur. Et idem plane dicendum de *Buto*, siue *Latona* Aegyptiorum. Neque hoc mirum videri cuiquam debet. Nam *Isidem* Aegyptiis proprie designasse *Lunam*, capite hoc rationibus idoneis euicimus. Rem eandem significabant ipsis quoque *Bubastis*, et *Butus*, videlicet *Lunam*, sed alia tamen aliaque relatione spectandam, alioque effectu praeditam, quamobrem *Isidis* siue *Lunae* nomen generale, ipsis quoque attribui rectissime poterat. Sed recentiores Aegyptiorum Philosophi, dogmatibus Graecorum, vti censeo, iam vehementer imbuti, in vna *Iside*, Deorum re-

Qui Isidem confundebant cum Neitha, et Philosophi recentiores, eam pro natura quoque rerum vniuersa habebant.

* Lib. I. cap. III. §. 7.
** De Iside et Osir. p. 354.

liquorum fere omnium attributa et proprietates agnouerunt, et religioſe coluerunt. Et haec ratio omnium maxima ac praecipua fuiſſe videtur, quod *Iſis* reliquis in Aegypto Diis anteponeretur, et illius Sacra, Sacra fere gentis iſtius omnia complecterentur, ac veluti abſorberent. Id vtique ſubinnuunt iſta SIMPLICII verba: * Διὸ καὶ τὴν Συρίαν Ἀταργάτην (ita lege) τόπον θεῶν καλοῦσιν, καὶ τὴν Ἶσιν οἱ Αἰγύπτιοι, ὡς πολλῶν θεῶν ἰδιότητας περιεχόσας. *Idcirco etiam Deam Syrorum Atergatin, vocant locum Deorum, ſicut et Aegyptii Iſin ſuam, eo quod plurimorum Deorum proprietates in ſe comprehendant.* Coniungit hic SIMPLICIVS Syrorum *Atergatin*, cum *Iſide* Aegyptiorum, vt quae apud diuerſas gentes rei fere eiuſdem ſymbola eſſent ſacra. De Dea Syria, ** Scriptor alius id memoriae prodidit: *Deam hanc Venerem quidam, alii Iunonem, nonnulli eam, quae incunabula et ſemina omnibus ex humido praebuit, cauſam et naturam arbitrantur eſſe. et quae principium omnium bonorum, quae in homines redundat, ipſis commonſtrauit.* Conſimilia his et plura etiam, de Iſide ſua praedicabant Aegyptii recentiores, praeceptis Philoſophiae graecanicae imbuti, et ab eo tempore Dea illa vere μυριώνυμος, *innumeris nominibus praedita*, quod ex PLVTARCHO, §. 9. intelleximus, potuit nuncupari. Talem nobis *Iſidem* ſiſtit APVLEIVS, vbi eam hunc in modum alloquitur Metam. Lib. XI. init. *Regina coeli, ſiue tu Ceres alma frugum parens originalis, — — ſeu tu coeleſtis Venus, quae primis rerum exordiis ſexuum diuerſitatem generato amore ſociaſti, — — ſeu Phoebi Soror, quae partu foetarum medelis lenientibus recreato, populos tantos educaſti, —— ſeu*

* In Ariſtotelis Lib. IV. Auſcult. Phyſic. fol. 150. a.
** PLVTARCHVS in vita Craſſi p. 553. fin.

seu nocturnis vlulatibus horrenda Proserpina, triformi facie laruales impetus comprimens, terraeque clausira cohibens, —— vario cultu propitiaris: ista luce foeminea conlustrans cuncta Moenia, et vdis ignibus nutriens laeta semina, et Solis ambagibus dispensans incerta lumina, quoquo nomine, quoquo ritu, quaqua facie te fas est inuocare. Ad quae apud eundem Dea haec de se ista respondet: *En assum tuis commota precibus, rerum natura parens, elementorum omnium domina, Seculorum progenies initialis, summa Numinum, regina Manium, prima coelitum, Deorum Dearumque facies vniformis: quae coeli luminosa culmina, maris salubria flamina, Inferorum deplorata silentia, nutibus meis dispenso: cuius Numen vnicum, multiformi specie, ritu vario, nomine multiiugo, totus veneratur Orbis*, et quae plura ibi in eundem sensum sequuntur, sed prolixiora, quam vt hic describantur. Postquam sic *Isis* Aegyptia, temporibus Ptolemaeorum, vultum habitumque graecanicum sensim induit, et ipsi Sacerdotes Aegyptii de ea tradere coeperunt, quod de natura diuina docuerant in Graecia Pythagoraei, Platonici, et ex parte etiam Stoici, Sacra eius Graecis etiam arriserunt, maioremque in modum placuerunt, indeque factum est, vt in vrbes Graeciae permultas introducerentur; sed et illic ad ingenium Theologiae graecanicae, tum physicae, tum mythicae, tum denique politicae, semper magis attemperarentur. Ex Graecia, Sacra haec transierunt in Italiam quoque, et si * TACITO credimus, in ipsam nostram Germaniam, qua de re plura forte nos docebit SIGISMVNDVS SAEMLERVS, Pastor Dibauiensis, in Silesia, meritissimus, et Antiquitatum Germanicarum, quarum in Museo suo diuitem con-

 geriem

* *de moribus Germanorum* cap. IX.

geriem poſſidet, inueſtigator ſolers. Quod vt propediem faciat vir clariſſimus, mecum optabunt omnes, qui literis elegantioribus bene cupiunt.

Fabularum de Iſide ſacrarum explicatio omitti hic debuit.

§. 11. Fabulas Aegyptiorum de Iſide ſacras, quarum ſane permultas veteres referunt, hic non attingam. Etenim priſcas genuinas Theologiae Aegyptiacae de Iſide traditiones fabuloſas, quae doctrinam Sacerdotum phyſicam occultabant, poſtea, a Graecis praeſertim, vario modo interpolatas, nouisque acceſſionibus auctas fuiſſe, mihi tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Illas vero acceſſiones, a genuinis traditionibus allegoricis, vti e manibus Sacerdotum primitus exierunt; ſemper diſcernere, res eſt altioris indaginis, et operoſam diligentiam poſcit, quam breuis haec tractatio non capit. Non pauci tamen ex λόγοις ἱεροῖς Sacerdotum, per ſe non ita difficulter intelligentur, ſi ea, quae hic de *Iſide* obſeruauimus, quae Libro II. de *Oſiride* et *Horo* diſſeruimus, et quae Libro V. de *Typhone* eiusque vxoribus dicentur, in conſilium adhibeantur. Sunt vero etiam fabulae aliae, quarum rationem ita facile reddi non poſſe auguror, cum doctrina Sacerdotum Aegypti, de Diis ſuis arcana, omnique niſu occultari ſolita, tota et in omni ſuo nexu, cognita nobis et perſpecta non ſit. Quare omne hoc, quicquid eſt, ſilentio nunc praeterire ſatius duco.

Explicationes nominis Iſis, ex graeco, hebraico, et arabico ſermone petitae, reiiciuntur.

§. 12. Tempus iam eſt, vt, quae de Iſidis Numine, Aegyptiorumque de ea doctrina, hucuſque obſeruauimus, ex gentis huius auito ſermone confirmemus, nominiſque *Iſidis* interpretationem, quam iudicamus eſſe veriorem, lectoribus offeramus. PLVTARCHVS, quo nemo diligentius in varias veterum de *Iſide* ſententias inquiſiuit, in libro toties citato *de Iſide et Oſiride*, nomen *Iſidis* ex graeco ſermone interpretari annitſus eſt. Ita enim in limine illius libri, Cleae, vt videtur, cui librum inſcripſit,

rem

rem inprimis gratam facturus, differit: *Ipſam diuinitatem appetit, quisquis veritatem, ac eam cumprimis, quae circa naturam Deorum verſatur, ſtudioſe inueſtigat, et Sacris quodammodo initiatur, qui ea addiſcit et ſcrutatur. Eſt hoc ſtudium quauis caſtimonia, et quauis functione miniſtrorum ſacrorum ſanctius, eſt quoque gratiſſimum Deae illi, quam impenſa religione colis, ſapientem et ſapientiae amantiſſimam, cuique, quod vel nomen ipſum indicare videtur, cognitione et ſcientia nihil magis proprium eſt.* Diceres, Scriptorem alias grauem, hic quidem ludere voluiſſe, qui ab ἴστημι, voce graeca, quae *ſcire* ſignificat, nomen *Iſidis* deducit. Aliam quoque is ipſe, in libro eodem, ſed plane ſimilem nobis originationem proponit, p. 375. Verba breuitatis ergo, latine tantum conuerſa appono. *Eam ob rem. id quod in natura eſt genitale et ſalutare,* ISIN *vocant, ab* ἰέναι, *id eſt eundo, tanquam euntem cum Scientia et ſe mouentem, cum ſit motus animatus et prudens. Etenim minime eſt nomen illud barbaricum; verum vti Graeci* Θεὰς, DEOS, *a* θεατὴς, *quod* SPECTATOREM, *et* θέειν, *quod* CVRRERE *ſignificat, denominarunt, ita Deam hanc, reſpectu habito ad eius et ſcientiam et motum, tum Graeci tum Aegyptii dixerunt* ISIN. Ita auctor egregius, vt gratiam captaret Cleae, Sacris Aegyptiorum, graeco ritu initiatae, et Philoſophorum praeceptis etiam imbutae, ſuauiter et docte nugari dedignatus non eſt. Probe ceteroquin ſciebat, nomina Aegyptiaca, non ex graeco, ſed ex vernaculo Aegyptiorum ſermone explicanda eſſe, quod ipſe ille eius liber, vbique, exemplis innumeris teſtatur. Sunt et hodie viri eruditionis laude, merito ſuo, praeſtantes, qui ad Hebraeorum dialectum confugiunt, vt ex ea veram nominis *Iſis* ſignificationem eruant, et quomodocunque explicent. His videas pla-

placere, *Iſin* nihil aliud eſſe, quam Hebraeorum אשה, id eſt *foeminam*. Malunt illi, vocem in ſolo Aegyptio natam, deriuare ab עכוס, quod Hebraeis *ſuccum* et *muſtum* ſignificat, proprie *calcatum*, quod nempe *calcando* exprimitur, et intelligi volunt ſuccum terrae. Quidam ex Arabica lingua, aliquid afferunt, quod ad *Iſidis* nomen ipſis videtur applicari poſſe. Verum haec talia mihi videntur eſſe, vt a cordato lectore veniam me impetraturum eſſe confidam, ſi diutius illis non inhaeream.

Et quae ex lingua Aegyptiaca petitae eſſe, falſo iactantur.

§. 13. Non deſunt, qui ſe veterem Aegyptiorum linguam adiiſſe, et ex illa nomen Deae celeberrimae explicuiſſe ſe putant, ſed quibus tamen conatus non felicius ceſſit. Huc referas licet, quod in MEGISERI *Theſauro Polyglotto* legitur, *terram* Aegyptiace ſonuiſſe *Iſi*. Ex eodem fonte manauit, quod * in Oratione Dominica, ſtylo antiquo Coptico, vt falſo iactatur, condita, et ab homine prorſus imperito, male conſarcinata, verba haec ἐν τῇ γῇ, *in terra*, reddantur *ben iſi*. Decepit hos homines veterum quorundam auctoritas, qui cum ſcirent, *Iſin* Aegyptiis ſacrum quoddam Symbolum eſſe *terrae*, aut potius laetae vbertatis, quam ex ſententia Aegyptiorum, Luna cum terra communicaret, ſibi ſunt imaginati, *Iſin* genti huic, in communi ſermone, ſignificaſſe *terram*. Ea de re nonnihil diximus §. 7. Idem ſentiendum de illorum interpretatione, qui *Iſin* Aegyptiis *annum* ſignificaſſe autumant. Praeiuit illis HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. cap. 3. vbi haec inueniuntur. Διόπερ οὐκ ἀλόγως τὸν ἐνιαυτὸν ἶσιν λέγουσιν. *Ideo non abs re annum Iſin appellant.* Sed ſi quis caput illud

* Extat in Collectione Oration. Dominical. *Chamberlayniana*, p. 30. Adde illic Prolegomena Venerandi et Celeberrimi WILKINSII.

illud attente perlegerit, mox deprehendet, auctorem proprie non loqui de nomine *Iſidis*, verum de *Sothi*, ſeu Sidere *caniculae*, quae vtique *Iſis* dici poterat, quoniam Deae huic Sacra erat. Neque etiam id ſignificatur, *Sothin* Aegyptiorum lingua deſignare *annum;* verum aliqua tantum ratione nomine *Sotheos* intelligi quoque annum, cuius rei rationes capite ſequenti exponemus. Hae igitur interpretationes nominis *Iſis*, minime ſunt literales; verum ſymbolicae tantum et allegoricae: non interpretationes vocis; ſed rei voce illa ſubindicatae.

§. 14. Mihi olim in mentem venit, idque etiam * alio loco profeſſus ſum, vocem *Iſis*, Aegyptiace ita ſcribendam eſſe, ⲓ— ϭⲥ, quod lego *I-ſois*, idque interpretor, *Dominam euntem*, vel *ſe mouentem.* Nam ⲓ, Aegyptiorum ſermone dicitur *ire*, adeoque *moueri* et *progredi.* ϭⲥ, porro, *Soïs*, et *dominum* et *dominam* Aegyptiis ſignificat. Et *Iſin* quidem Aegyptiis dici *dominam*, peruulgatum eſt, et ** vberiori interpretatione non eget. Nota ſunt illa *Iſidis* de ſe ipſa apud APVLEIVM verba: *Aegyptii cerimoniis me prorſus propriis percolentes, appellant vero nomine Reginam Iſidem.* Dici vero Deam hanc *euntem*, vel *ſe mouentem*, et rei ipſi, quam ſupra explicuimus, et Theologiae, non minus Aegyptiacae, quam Graecae, ac Romanae, et aliarum quoque gentium, quam maxime conuenit. Sic Romani *** *Ianum, quem Solem demonſtrari volunt, et Mundum, dictum putabant ab*

Noſtra de ſignificatione nominis Iſis ſententia.

* in *Remphah illuſtrato* p. 68.

** Poterit tamen, qui volet, hic conferre Lib. II. cap. I. §. 2.

*** MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. VII.

ab eundo, quaſi Eanum. Conſimili modo Graeci * Apollinem vocare ſolebant Ἰήϊον, nimirum ἀπὸ τῦ ἰέσθαι καὶ ἰέναι, *quod Sol per orbem impetu fertur.* Et in vniuerſum *Deum*, Graecis dictum fuiſſe Θεὸν, ἀπὸ τῦ θέειν, a *currendo*, et *eundo*, ** permulti quondam exiſtimarunt. Eorum ſententiam in his expoſuit *** Poëta,

— *Deum namque ire per omnes*
Terraſque, tractuſque maris, coelumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Quae etiam in Iſidis Numen, ſicuti illud explicuimus, congruere manifeſtum eſt. Solent etiam veteres Deae huius nomen eundem in modum interpretari; ſed perperam ex ſermone graeco. PLVTARCHVM nomen *Iſis* deducere ἀπὸ τῦ ἰέσθαι, *ab eundo*, obſeruauimus §. 12, quam originationem adfert etiam CLEMENS *Alexandrinus*, Stromatum L. I. p. 322. Plura huius modi adduci poſſent. Sed, vt verum fatear, non videtur haec etymologia nomini *Iſis*, vti a Graecis effertur, reſpondere. Nomen illud non modo Aegyptiis omnibus cariſſimum, ſemperque in ore erat, ſed et inter ipſos Graecos quoque erat longe celeberrimum, et vſu frequenti tritiſſimum. Et cum tamen Graeci omnes illud conſtanter *Iſis* efferant, et ab hac ſcriptione nunquam recedant, de alia potius originatione cogitandum eſſe cenſui.

§. 15.

* APOLLODORVS apud MACROBIVM Saturn. Lib. I. c. XVII.
** PLATO in *Cratylo* p. 52. Edit. Graec. Baſil.
*** VIRGILIVS Georg. Lib. IV. v. 221.

§. 15. Sciendum igitur eſt, Aegyptiis ⲥⲓ, *Si*, et cum articulo generis maſculini, ⲡⲓ-ⲥⲓ, *Pi-ſi*, vel cum articulo indefinito, ⲟⲩ-ⲥⲓ, *U-ſi*, deſignare πλησμονὴν, *abundantiam* et *ſatietatem*. Geneſ. XLI. 30. Leuit. XXVI. 5. XXV. 19. Pſ. CVI. 15. Iam vero obſeruauimus, ⲓ, Aegyptiis dici *venire*, *ire*. Erit igitur ⲓ-ⲥⲓ, *I-ſi*, *abundantia permanans*, vel terram permeans et peruadens. Quae denominatio, vt quiuis intelligit, tum ad Lunam, abundantiae terreſtris cauſam, tum ad terram quoque abundantia donatam referri poteſt. Poſtquam Sacerdotibus Aegyptiorum placuit, vt Diis nomina imponerentur ſymbolica, *Solem* a praecipuo effectu, quem mortales omnes in eo obſeruant, *Oſirin* dixerunt, * id eſt *temporis et anni effectorem*, *Lunam* vero, ** quae ad Aegyptiorum annum non pertinebat, ab alia perutili et benefica poteſtate, quam ipſi in terram noſtram tribuebant, §. 4, 8, denominarunt *Iſin*, quaſi dicas *cauſam abundantiae*, *terram totam permeantis et commouentis*. Nominibus huic non valde diſſimilibus, *** Graeci etiam *Cererem* ſuam honorare et colere conſueuerant. Non autem abs re erit, et illud obſeruaſſe, ⲟⲩⲥⲓ, *u-iſi*, ſermone Aegyptiorum dici *inflare*, *tumeſcere*, *diſtendere*, quam vocem interpretes Scripturae Copti adhibent de muliere adulterii ſuſpecta, quae iubebatur aquam maledictam bibere, ex qua, ſi adultera eſſet, venter intumeſcebat. Numer. V. 21.22. Vbi tamen ſyllaba prima ⲟⲩ, vti in permultis aliis, pro-

Idem argumentum continuatur.

* Vide *Panthei* noſtri Lib. II. cap. I. §. 14. etc.

** CENSORINVS de die nat. cap. 18.

*** IS. VOSSIVS Obſeruat. in Catullum p. 84.

proceſſu temporis, cum ipſa radice videtur coaluiſſe. Sic radix ipſa eſſet ISI, *iſi*. Erit igitur *Iſi*, et cum terminatione Graecorum *Iſis*, *quae inflat*. Dea namque haec Nilum fluuium ſtato tempore credebatur inflare ac augere, §. 6. Idque beneficiorum omnium praecipuum erat atque maximum, quod ab eius Numine et petebant, et expectabant Aegyptii. Nilus ab Iſide inflatus, atque tumeſcens, in campos Aegyptiorum adſcendebat, illoſque quaquauerſum inundabat, et huius inundationis fructus multo exoptatiſſimus erat SI, *Si*, πλησμονὴ, *abundantia*, *ſatietas*, vel, ſi mauis, I-SI, *I-ſi*, *abundantia ac vbertas procedens*, et per totam Aegyptum ſe diffundens. Vtrumque hoc forte, Sacerdotes Aegyptiorum, in nomine *Iſidis* voluerunt coniungere, idque, niſi vehementer fallor, in *Tabulae Bembinae* vel *Iſiacae* Segmento ſecundo, illiuſque tum initio, tum fine, figuris quae in Editione Friſii Amſtelaedamenſi, literis Q, et Q, et deinde EE, ac EE, deſignantur, ſcite admodum ac ingenioſe videmus depictum. In figura vtraque conſpicitur *Nilometrium*, portatile nempe, quod in Pompis Niliacis circumferri ſolebat, et de quo nos plura obſeruabimus infra cap. III. et IV. Nilometrium illud ab vtroque latere circumſtant mulieres, quarum, me quidem iudice, vtrauis *Iſidem* deſignat, terram nempe Aegypti, ab vtraque Nili ripa, ad dextram et ſiniſtram ſitam, quam fluuius ille, inundatione ſua foecundat. Et hoc ipſum ſignificare vocem, qua Hebraei terram Aegypti nuncupant, מִצְרַיִם, quae terminationem habet dualis numeri, vt innuatur nempe, terra illius regionis bipertita, hinc cis, illinc trans Nilum, acute * vir doctiſſimus

* VITRINGA in Ieſaiae cap. XIX. To. I. p. 335. b.

aiſſimus obſeruat, cuius obſeruationi fauet egregie Figura *Tabulae Bembinae*, de qua loquimur. Ceterum in priori Figura, lit. Q, et Q, mulier vtraque Nilometrium circumſtans, vbera prae ſe fert flaccida, inania, pendentia. In altera vero lit. E E, et E E, vtraque mulier vbera geſtat turgida, inflata, multoque lacte diſtenta. Nam in priori figura adumbratur terra Aegypti, aduentum Nili, eiuſque fertilem impraegnationem ſitiens, et etiamnum expectans. In poſteriori vero, Iſis cenſetur Nilum iam inflaſſe, hocque beneficio terrae fertilitatem iam induxiſſe, vt ſic foeta et grauida effecta iam ſit. Id imago illa ſymbolice repraeſentat, idque nomen quoque *Iſidis*, vti auguror, Aegyptiis ſubinnuebat.

CAPVT II.

De Sothi, siue Isíde oriente in Sidere Caniculae.

Summa dicendorum. §. 1. Sothis secundum quosdam videtur et Isin, et Caniculae sidus designare. §. 2. Sed proprie et vere Sothis designat sidus Caniculae; hoc vero Isidi sacrum esse voluerunt Aegyptii. §. 3. Sidus Caniculae apud Aegyptios sacrum erat Isidi, (1) quia omnia huius modi sidera alicui ex Diis maioribus attribuebantur. §. 4. (2) Quia Isis, cui sacra erat Sothis, siue Canicula, re ipsa videtur fuisse Neitha, vel Minerua, ad quam sidus hocce quam commodissime referebatur. §. 5. (3) Quia sidus Caniculae, ad Isidem etiam proprie sic dictam, id est Lunam, relationem habet singularem. §. 6. (4) Quia principium etiam periodi Sothiacae, modo singulari Lunae consecratum erat. §. 7. Aliae praeterea rei illius rationes adferuntur. §. 8. Sothis sermone Aegyptiorum non canem designat, vt quidam credidere. §. 9. Quid censendum sit, de originatione Plutarchi, qui Sothin interpretatur grauidam. §. 10. Sothis recte exponi potest *initium*, aut etiam *initium temporis*. §. 11. Additur interpretatio alia, priori, quoad rem persimilis. §.

§. 1.

Summa dicendorum hoc capite.

Sothis nomen apud Aegyptios a temporibus antiquissimis, percelebre fuit, eo cum maxime, quod a *Sothi* annum ciuilem auspicarentur, eamque ob rem periodum suam magnam annorum Iulianorum 1460, quibus absolutis annus ipsorum, ad pristinum suum principium, *Sothin* nempe, reuertebatur, *Sothiacam* nuncuparent. Nobis de nomine isthoc celebri, agendum ideo hic est, quia, si veteres quosdam audimus, *Sothis* nihil aliud fuit, quam

quam *Isis* ipsa, aut saltem aliquod illius cognomen. Et si *Tabulam Bembinam*, siue *Isiacam* attente contemplamur, apparebit, medium illius occupare *Sothin*, ibique *Isidem* repraesentari, in summa veluti gloria fulgentem et regnantem. Duo igitur hic mihi excutienda esse video, *primo* quidem, quidnam per *Sothin* Sacerdotes Aegyptiorum designare proprie voluerint, *deinde* vero, quam significationem vox ista in prisca Aegyptiorum lingua habuerit. Prima rei huius explicatio erit *realis*, secunda *verbalis*.

§. 2. *Sothin* Aegyptios ad *Isidem* retulisse, dubio omni caret. Id res ipsa, et quae veteres de *Sothi* memoriae prodiderunt, satis aperte loquuntur. Verum quaeri merito potest, num *Sothis* fuerit ipsius *Isidis* aut nomen, aut cognomen. Nam sunt ex veteribus, qui id testentur. *Aegyptii*, inquit * DAMASCIVS, *Sothin Isin esse asserunt, Graeci hanc ad Sirium Stellam referunt, et Sirium tanquam canem Orionis venatoris pingunt.* Idem subinnuere voluisse videtur, auctor Inscriptionis antiquae, in honorem Isidis positae, vbi ita de se illa loquitur: ** *Ego sum, quae in canis sidere oritur.* Vnde sidus idem *** Graeci etiam dixerunt *Sidus Isidis.* Idem significat HORAPOLLO, *Hieroglyphic.* Lib. I. c. 3. *Annum demonstrare volentes, Isin, hoc est foeminam pingunt: quo etiam signo Deam significant. Est autem apud eos Isis sidus, quod Aegyptio quidem nomine Sothis, graeco vero Astrocyon dicitur.* Videntur autem Scriptores hi id significare voluisse, *Isidem*

Sothis secundum quosdam videtur et Isin, et Caniculae sidus designare.

C 2

* in *vita Isidori*, apud PHOTIVM in *Bibliotheca*, Cod. CCXLII. p. 1043.

** DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 24.

*** *Scholiastes* graecus *Apollonii Rhodii* in Lib. II. Argon. 518.

dem Aegyptiis etiam dici *Sothin*, et vtroque nomine designari sidus illud, quod Graeci κύνα et ἀστροκύνα, Latini vero *caniculam* appellare solent. Paulo distinctius ERATOSTHENES in *Catasterismis* cap. 33. vbi *caniculae sidus* describit, id ita explicat: *Canis in capite Stellam habet vnam, quae dicitur Isis,* (dicere voluit *Sothin*) *in lingua vnam, quam Sirium vocant.* Paria habent alii, interque hos HYGINVS, cuius in *Poëtico Astronom.* Lib. II. cap. 36. haec sunt verba: *Canis habet in lingua Stellam vnam, quae ipsa Canis appellatur: in capite autem alteram, quam Isis suo nomine statuisse existimatur, et Sirion appellasse propter flammae candorem, quod eiusmodi sit, vt praeter ceteras lucere videatur.* Et certe * micat illa Stella, inter minores omnes, luce clarissima, quae ratio Aegyptios commouisse videtur, vt ab eius exortu annorum suorum initia ducerent.

Sed proprie Sothis designat Sidus caniculae; illud vero Isidi consecrarunt Aegyptii.

§. 3. Si omnia quae veteres de *Sothi* literis mandarunt, inter se conferantur, apparebit facile, omnia ad duo haec redire. I. *Sothis* proprie non est nomen *Isidis*, aut Deam hanc quomodocunque designat; verum significat aut *sidus caniculae*, ac illam figillatim Stellam, quae in capite constellationis illius praefulget, aut forte illius potius exortum, a quo initium verum anni putabant Aegyptii. Id PLVTARCHVS recte obseruat, vbi affirmat, ** *Isidis Stellam, a Graecis vocari canem, ab Aegyptiis Sothin.* Et post alia quaedam intermedia: *Canis Sidus Isidi sacrum Aegyptii censent.* Est itaque *Sothis* nomen Stellae, non Deae. Idem *** alio loco memo-

* ALPHONSVS VIGNOLIVS, in Dissert. de annis Aegyptiac. Miscell. Berol. Tom. IV. p. 3.

** de Iside et Osir. p. 359.

*** *de Solertia Animalium* p. 974.

memorat *sidus*, *quod Graeci caniculam et Sirium*, *Aegyptii vero Sothen appellant.* Neque aliter CHALCIDIVS, in Timaeum Platonis cap. CXXIV: *Hanc eandem Stellam ἄστρον κυνὸς quidam*, *Aegyptii vero* * *Σῶθιν vocant.* Il. Hanc vero Stellam, siue mauis Sidus, eiusque exortum Isidi ratione singulari sacrum esse voluerunt Aegyptii, eaque de causa, multi in eas inciderunt cogitationes, *Sothin*, quomodo appellabatur Sidus Isidi consecratum, esse quoque ipsius Isidis nomen. PLVTARCHVM vidimus affirmantem, *Sidus*, quod Graeci *caniculam*, Aegyptii *Sothin* vocarent, *esse Isidis.* Idem p. 365. extr. monet, *ex Sideribus Sirium*, siue caniculam, *Isidi adscribi.* Et p. 376: *Aegyptios existimare*, *Sidus caniculae esse Isidi proprium.* Quibus iungimus THEONEM, cuius in Scholiis ad Arati Phaenomena, p. 22. Edit. Oxon. haec sunt: Ἡ τοῦ κυνὸς ἐπιτολὴ κατὰ ἑνδεκάτην ὥραν φαίνεται, καὶ ταύτην ἀρχὴν ἔτους τίθενται, καὶ τῆς Ἴσιδος ἱερὸν εἶναι τὸν κύνα λέγουσι, καὶ τὴν ἐπιτολὴν αὐτοῦ. *Canis ortus*, *circa horam undecimam* (noctis) *apparet. Ibi Aegyptii initium ponunt anni*, *et canem*, *eiusque ortum sacrum volunt Isidi.*

§. 4. Ex iis quae diximus, noua oriri potest quaestio, qui nempe factum sit, vt, cum *Sidus caniculae*, ab *Isidе*, siue *Luna*, tantopere diuersum sit, Aegyptii tamen illud *Isidi* sacrum voluerint, et quodammodo proprium. Eius rei rationem promere possum aliquam generalem, illique subiungam alias specialiores. Generalis rei huius ratio ista est, quod Aegyptii Sidera Coeli omnia notabiliora, et splendidiora, alicui ex Diis maioribus attribuere consueuerint. De Planetis notus est locus ** ACHIL-

Sidus caniculae apud Aegyptios sacrum erat Isidi, (1) quia omnia huiusmodi Sidera alicui ex Diis maioribus attribuebantur.

* Ita FABRICIVS in notis, recte.
** in Arati Phaenomena, Vranolog. Petau. p. 136.

LIS TATII; ex quo discimus, *Saturni stellam Aegyptios dixisse Stellam* NEMESEOS: *Iouis Stellam eosdem nominasse* OSIRIDIS, *Stellam Martis vero* HERCVLIS, *ac Mercurii vocasse Stellam* HORI, *vel Apollinis.* Singuli itaque Planetae vni alicui ex Diis maioribus apud Aegyptios sacri erant et proprii. Idem etiam in Constellationibus locum habuisse, ex hoc PLVTARCHI testimonio satis constare potest. * *Etiam reliquorum Deorum corpora, Sacerdotes aiunt, post mortem apud se deposita religiose coli, eorum scilicet Deorum, qui ortus et interitus expertes non sint. Eorum autem animas in coelo fulgere, et esse Stellas. Nam* ISIDIS *Stellam vocari a Graecis canem, ab Aegyptiis Sothin: Orionem esse* HORI, *et* TYPHONIS *vrsam.* Et interiectis quibusdam: *Orionis et canis sidus, alterum Horo, alterum Isidi Sacrum Aegyptii censent.* Postremum hocce sine dubio ex aurita et genuina Aegyptiorum Theologia profectum est. Nam in prioribus, dogmata quaedam Theologiae graecanicae, traditionibus Aegyptiorum priscis admixta, cordatus quiuis et idoneus rerum harum arbiter deprehendet. Supponitur enim in illis, Deos Aegyptiorum, Isidem, Horum, et similes, fuisse Heroës, ortus interituſque non expertes, quorum post mortem animae, in Stellas fuerint translatae. An non hoc apertissime fabulas Graecorum prodit, quales ab Aegyptiis admitti, ** disertis verbis negat HERODOTVS, Graecorum omnium, qui de rebus Aegyptiacis, exquisita diligentia scripserunt, antiquissimus. Neque hoc latebat ACHILLEM TATIVM, Scriptorem diligentem et accuratum, is enim obseruat, id esse Sphaerae graecanicae proprium, in quo ab Aegyptiorum Sphaera differat,

* *de Iside et Osir.* p. 359.
** Vide *Prolegomena* §. 18.

differat, * quod *nomina Stellarum ab insignibus heroibus desumserint*, tanquam illi in Stellis cognominibus viuant. Orientales in vniuersum Stellis praeficiebant certos quosdam Genios, quos Gnostici, voce Scripturaria appellare solebant Angelos, Aegyptii vero Deos, Osirin, Isin, Horum, et similes, non quod horum Animas, post interitum corporis, in Sidera migrasse arbitrarentur; sed quod iis Stellas quasdam singulari ratione sacras esse, eorumque influxu veluti animari censerent. Simili ergo ratione *Sidus caniculae*, religione Aegyptiorum, *Isidi* consecratum erat.

§. 5. Sed sunt tamen etiam rationes specialiores, ob quas Aegyptii *Sidus caniculae*, *Isidi* potius, quam alii ex Diis maioribus attribuere maluerint. Re ipsa Numen illud, quod in *Sothi* oriri tradit Inscriptio, allata §. 2, arbitror ab antiquioribus Aegyptiis habitum fuisse *Neithae*, seu *Mineruae*. In *Tabula Bembina*, rei huius, quam dixi, indicia extare luculenta, ** alio loco pluribus monui. Et certe *Sothis*, vel *ortus Caniculae*, Aegyptiis non modo erat annorum ciuilium principium; sed diem hunc eundem Sacerdotes etiam perhibebant esse natalem totius Mundi. Eruditis ignotus non est hicce PORPHYRII locus: *** Αἰγυπτίοις ἀρχὴ ἔτους ἀχ' ὑδροχόος, ὡς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ Καρκίνος. Πρὸς γὰρ τῷ Καρκίνῳ ἡ Σῶθις, ἣν κυνὸς ἀστέρα Ἕλληνές φασι. Νεμηνία δὲ αὐτοῖς ἡ Σώθεως ἀνατολὴ, γενέσεως καταρχέσα τῆς εἰς τὸν κόσμον, *Aegyptiis initium anni non aquarius est, vt Romanis; sed cancer. Prope cancrum autem est Sothis, quam Graeci*

(2) *Quia Isis, cui sacra erat Sothis, vel canicula, re ipsa videtur fuisse Neitha. Et ad hanc Sidus caniculae commodissime referebatur.*

* in *Isagoge* ad Phaenomena Arati p. 164.
** Lib. I. cap. III. §. 14.
*** *de Antro Nympharum* p. 264. fin. Edit. Cantabrig.

canis Stellam dicunt: et prima menſis dies ipſis eſt Sotheos ortus, qui generationis mundi ducit initium. Hinc de *ortu caniculae*, ſiue *Sothi* SOLINVS tradit cap. 32: *Hoc tempus Sacerdotes natalem mundi iudicarunt.* Non diſcrepant ab his verba * AENEAE GAZAEI, in *Theophraſto*, ſiue *de immortalitate animarum*, dummodo comparentur cum PORPHYRII loco, nunc adducto. Sic vero ille: Οἱ τῶν αἰγυπτίων προφῆται τὴν ἀρχὴν καὶ γένεσιν λέγοντες, ἐπέσηταν καρκίνῳ τὸν κόσμον τὴν ὥραν. *Prophetae Aegyptiorum*|, *initium rerum omnium indicaturi, cancro mundi conditi tempus adſcribunt.* Nam vt dicebat PORPHYRIVS, *prope cancrum eſt Sothis*, vel, Sothis oritur, dum in cancro Sol moratur, in Leonem iam iam tranſiturus. Erat igitur Prophetis Aegyptiorum, *Sothis* totius mundi natalis. Et cui igitur potius Sidus illud dicarent, quam *Neithae?* ** in qua creatorem et conſeruatorem rerum omnium colebant. *Neitham* vero Aegyptii *** cum *Iſide*, certo reſpectu eandem putabant, et ſaepe confundebant, inprimis poſtquam eam † τόπον θεῶν vocare conſueuerant. Hac igitur de cauſa fieri potuit, vt *Sothin Iſidi* potiſſimum ſacram eſſe vellent.

(3) *Quia Sidus caniculae, etiam ad Iſidem proprie ſic dictam, id*

§. 6. Verum ne opus quidem eſt, vt de *Neitha* hic cogitemus, etſi tamen eam in vniuerſum minime excludamus. Sunt rationes ponderis non minimi, quae *Sothin*, vel *caniculae ſidus*, *Iſidi* proprie ſic dictae, id eſt *Lunae*, ſatis ſuperque vindicent. Si enim *Sothin* ex mente Aegyptiorum conſiderare

* In *Bibliotheca magna Patrum* Pariſina Tom. XII. p. 647.
** Vide ſupra Lib. I. cap. III. §. 7. 8.
*** PLVTARCHVS de Iſide p. 357. et 376.
† Vide ſupra, hoc libro III. cap. I. §. 10.

ſiderare velis, tanquam totius mundi natalem, ille etiam, ſecundum eiuſdem gentis doctrinam, *Lunae* ratione ſingulari, ſacer erat et proprius. Id non melius, quam ex hac Aegyptiorum de Scarabaeo traditione intelligi poteſt *: *Vbi Scarabaeus ſobolem procreare vult, bouis ſimum nactus, globulum ex eo, eiuſdem cum mundo figurae ſingit: quem vbi ab ortu in occaſum auerſis pedibus volutarit, ipſe rurſum, vt orbi perſimilem figuram edat atque exprimat, in ortum conuertitur. —— Hanc itaque pilam in terra defoſſam reponit in dies octo et viginti: nam et totidem diebus Luna duodecim Zodiaci ſigna perluſtrat, ſub qua toto illo tempore permanens animatur ac ſemen vitale ſuſcipit Scarabaeorum genus. Nono autem et viceſimo die apertam pilam in aquam conicit (eum enim diem eſſe putat, quo et Luna cum Sole congrediatur, et mundi inſuper fiat generatio), quae dum in aqua aperitur, prodeunt animalia, hoc eſt Scarabaei.* Non ſuperuacaneum duco, verbis hiſce HORAPOLLINIS ſubiicere, quae ad ea commentatus eſt IO. CORNELIVS de PAVW: *Die vigeſimo nono, quo Luna Solis congreſſum appetit, Mundus hic viſibilis et ὑλικὸς, ortus eſt ſecundum Aegyptios. Scis quid de mundi ortu fabulentur illi: huius tota machina producta fuit die vigeſimo nono, cum dies viginti octo latuerat, et ipſo illo puncto diei vigeſimi noni, quo Sol cum Luna congreditur, ſe viſendam praebuit, natiuitatiſque habuit horam.* Ibidem vir eruditus, qui iam ad plures abiit, ſe alias hac de re plura dicturum eſſe, pollicitus erat, et nos quoque idem faciemus, ſi ad *Tabulam Bembinam* explicandam, manus aliquando admouere licebit. Confirmat hoc MACROBIVS Lib. I. *in Somnium Scipionis*, cap. XXI. ſequentibus verbis: *Aiunt Aegyptii,*

eſt, Lunam, relationem habet ſingularem.

* HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. c. 10.

Aegyptii, in hac genitura mundi, —— horam fuisse mundi nascentis; cancro gestante Lunam. Et quibusdam intermediis: *Duobus quidem luminibus,* (Soli et Lunae,) *singula tantum signa* Zodiaci, *in quibus tunc fuerant,* (cum mundus nasceretur,) *assignauit antiquitas, Cancrum Lunae, Soli Leonem.* Et norunt, qui Astrologorum praecepta consuluerunt, *Leonem* domum esse *Solis*, *Cancrum* vero *Lunae.* En igitur *Cancrum*, prope quem est *Sothis*, *Lunae* modo singulari sacratum!

(4) *Quia etiam principium periodi Sothiacae, Lunae singulari ratione sacrum fuit.*

§. 7. Forte tamen ea, quae Sacerdotes Aegyptii de natali totius mundi aenigmatice tradebant, re ipsa, nouam tantum anni constitutionem, ab *ortu caniculae* incipientis, respiciebant. Id * viri quidam doctissimi, ratione satis probabili suspicati sunt, idque aliquando, si visum fuerit Deo, ad *Tabulam Bembinam*, nouo argumento confirmatum dabo. Videntur itaque Sacerdotes Aegyptii rationem habuisse peculiarem, ob quam *Sothin*, siue *caniculae sidus*, quatenus annum auspicatur, *Isidi* proprium sacrumque esse voluerint. Rationem illam in his aperuisse mihi videtur DODWELLVS **: *Mundi autem praeterea natalem diem hunc appellabant, quod non vnius duntaxat coelestis orbis in eo circuitus denotaretur, vt in motu solari anni canicularis magni, tunc enim redire credebatur Sol ad idem Coeli punctum, vnde ab illius anni initio discesserat; et quidem in eodem mensis ciuilis die, eademque hora. —— Mundi itaque ille fuit apud Aegyptios circuitus, quo fieret non Solis modo, sed Lunae etiam ἀποκατάστασις, ita vt non sibi tantum, verum etiam inuicem responderent in eodem situ, eodemque inter se respectu. Sacrorum*

* DODWELLVS in Append. ad Dissertat. Cyprian. §. 14. DES-VIGNOLES Chronologie Tom. II. p. 694.
** DODWELLVS, vbi supra.

crorum enim cauſa diximus ab Ethnicis id genus cyclos fuiſſe excogitatos. In Sacris autem, non Solis tantum; ſed Lunae etiam rationem habebant propter Neomenias. Illam itaque Lunae cum Sole in eundem locum ἀποκατάϛαϛιν XXV *annorum circuitu contingere credebant.* etc. Liquet ex his, in Feſto *Sotheos*, ſeu noui anni auſpiciis, rationem Aegyptios habuiſſe, non tantum *Caniculae;* ſed etiam *Lunae*, quae ad Feſtum illud concurrere credebatur, vt illi igitur, Caniculae ſidus merito ſacrum propriumque dici potuerit. Suſpicor itaque, Sacerdotes Aegyptios, propter rationem, quam nunc intelleximus a DODWELLO explicatam, primum diem nouae Periodi Sothiacae talem elegiſſe, in quo cum *Caniculae ortu*, ſiue *Sothi*, noua Luna concurreret. Nam Aegyptios Neomeniarum rationem habuiſſe prorſus ſingularem, eaſque ceu dies multo auſpicatiſſimos, impenſa laetitia celebraſſe, multis modis teſtatum eſt. Et hinc factum eſſe videtur, vt tempore inſecuto, longe plurimi per Aegyptum, annum quidem auſpicarentur a *Sothi*, ſiue ipſo *Caniculae ortu;* verum non pauci tamen a coitu Lunae, quae *ortum Caniculae* praecederet, quod ex VETTIO VALENTE, Aſtrologo clariſſimo; ſed inedito, * SALMASIVS nos docuit. Cur hi, quaeſo, anni initium in noua Luna ponerent, niſi id in primo anno nouae periodi obſeruatum fuiſſet? Quod ſi igitur cum prima *Sothi* concurrit *noua Luna*, ratio iam manifeſta eſt omnibus, cur dies ille *Iſidi*, ſiue *Lunae*, ſingularem in modum ſacer eſſet dicatuſque.

§. 8. Cum ratione nunc ſubminiſtrata, aliam praeterea coniungendam eſſe putamus. Nempe in ortu Caniculae, Aegyptii ex certis quibuſdam ſignis de prouentu totius anni iudicium ferre ſolebant. Docet

Adduntur eius rei praeterea rationes aliae.

* *de annis Climactericis* p. 113. 114.

Docet id HORAPOLLO in Hieroglyphicis Lib. I. cap. 3: Κατὰ τὴν τότε τῆς ὥρας ἀνατολὴν, σημειώμεθα περὶ πάντων τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ μελλόντων τελεῖσθαι. *In ſideris Caniculae exortu, ex ſignis quibuſdam obſeruamus, quae toto anno euentura ſint.* Non tamen mihi haec videntur intelligenda de iis, quae hominibus euentura eſſent, bona malaue, vti IOH. CAVSSINVS verba auctoris noſtri interpretatur. Sed prognoſtica haec ſpectabant tantum prouentum frugum, leguminum et ſeminum, quod ex PALLADIO liquet, cuius verba adſcribere non grauabor. Ita illa ſe habent: * *Graeci aſſerunt, Aegyptios hoc more prouentum futuri cuiuſque ſeminis experiri: aream breuem loco ſubacto et humido nunc excolunt, et in ea diuiſis ſpatiis, omnia frumenti vel leguminum ſemina ſpargunt: Deinde in ortu Caniculae, qui apud Romanos quartodecimo Calendarum Auguſtarum die tenetur, explorant, quae ſemina ortum ſidus exurat, quae illaeſa cuſtodiat. His abſtinent, illa procurant; quia indicium noxae aut beneficii, per annum futurum generi vnicuique, ſidus aridum praeſenti exitio vel ſalute praemiſit.* Alii, fateor, rem hanc ab Aegyptiis acceptam, non ad fruges tantum, ſed ad permulta alia quoque, extenderunt.

De Cilicibus id obſeruat MANILIVS Aſtron. Lib. I. v. 387:

Subſequitur rapido contenta canicula curſu,
Qua nullum terris violentius aduenit aſtrum,
Hanc qui ſurgentem, primo quum redditur ortu,
Montis ab excelſo ſpeculantur vertice Tauri
Prouentus frugum varios, et tempora diſcunt,
Quaeque valetudo veniat, concordia quanta.
Bella facit, pacemque refert, varieque reuertens
Sic mouet, vt vidit, mundum, vultuque gubernat.

De

* *de re ruſtica* Lib. VII. Tit. IX. p. 967. Edit. Geſn.

De Ceis etiam CICERO refert, eos * *ortum caniculae diligenter quotannis solere seruare, coniecturamque capere ——— salubrisne an pestilens annus futurus sit: nam si obscurior quasi caliginosa Stella extiterit, pingue et concretum esse Coelum, vt eius aspiratio grauis, et pestilens futura sit: sin illustris et perlucida Stella apparuerit, significari coelum esse tenue, purumque et propterea salubre.* Vtrum et hoc ab Aegyptiis tractum; an vero a Ceorum Theologis labentibus annis additum fuerit, aliis diiudicandum relinquo. Quicquid sit, illius rei mentionem hic faciendam esse putaui, quia omne hoc, quicquid est, secundum quosdam pendet ex positione Lunae, siue domo, quam illa sub ortum Caniculae occupat, vt notauit auctor *Geoponicôn* Lib. I. cap. 8. Hoc arbitror ex fontibus Aegyptiorum dimanasse, vt in quorum Theologia Luna ad res fere omnes interueniret, ideoque eos *Caniculae* Sidus *Isidi* vel *Lunae* consecrasse. Neque etiam silentio inuoluendum, cum ortu Caniculae in Aegypto, incrementa Nili omnibus iam manifesta fieri, vnde Sidus hoc ** Aegyptii dicere consueuerunt ὑδραγωγὸν, *ciens aquam*, et ab hoc termino *** multi incrementa illa deducere ac numerare soliti sunt. † Alibi vero ostendimus, haec fluuii incrementa Aegyptios ad *Isidem*, siue *Lunam*, tanquam veram illorum causam retulisse. Vti igitur iidem *Sothin*, siue *Sidus Caniculae* venerati sunt, ceu ὑδραγωγὸν, *quae aquas Nili cieret atque augeret*, quod modo obseruabamus, ita

* *de Diuinatione* Lib. I. fin.

** PLVTARCHVS de Isde p. 365. fin.

*** DIODORVS p. 16. PLINIVS Lib. V. cap. IX. SOLINVS cap. 35. Edit. Salmas. TIBVLLVS Lib. I. Eleg. VIII. 21. 22. THEO in Aratum p. 22. AELIANVS de Anim. Lib. X. cap. 45.

† Supra, cap. I. §. 5. 6.

ita * eodem nomine insignierunt etiam *Lunam*, quod nimirum haec cum Caniculae sidere concurrens, augmenti Niliaci, illo tempore ab omnibus conspiciendi, vera causa esset. Hac igitur etiam de causa, *Sothis* in Aegypto sacrata erat *Isidi*.

Sothis Aegyptiis non significat canem, vt quidam credidere.

§. 9. Videamus nunc iam, quidnam *Sothis*, Aegyptiorum sermone auito proprie significauerit. Ex Veterum testimoniis supra obseruauimus, §. 3, nomine hoc Aegyptios designasse *Sidus Caniculae*, κύνα, aut illius *ortum*. Seduxit hoc eruditorum nonnullos, vt existimarent, *canem* animal, prisca illius gentis lingua dictum fuisse *Sothin*. Praeiuit illis sine dubio KIRCHERVS, qui ** in *Scala magna*, Coptico-Arabico-Latina, quam e Cod. MS. edidit, haec habet, p. 165. ⲡⲓⲥⲟⲑⲓⲥ ⲥ. ⲡⲓⲥⲓⲱⲑⲓ. *Canis*, quae tamen nugiuendulus ille, vt multa alia, e cerebro proprio tantum hausisse videtur. Ex hac lacuna hausit BOCHARTVS, quod paulo confidentius hunc ad modum scribit: *** *Sed Canis Aegyptiis erat* Σῶθις, *vt hodieque apud Coptos.* Hinc est, quod videas, eruditos quosdam viros *Sothin* interpretari *Anubidem*, nam hicce ab Aegyptiis capite fingebatur canino. Verum profecto operam oleumque perdunt, qui interpretationi huic, aliquid qualecunque superstruunt. In Coptorum libris, *canis* nusquam *Sothis* dicitur, semper *U-hor*, ⲟⲩϩⲱⲣ. Nec habet interpretatio illa fundamentum aliud, nisi hoc, quod Sidus, quod *Sothin* Aegyptii dixerunt, Graeci κύνα, id est *Canem*, vel, vt loqui solent Scriptores latini, *caniculam*, appellitauerint. At vero constellationum coelestium, non

* EVSEBIVS *Praeparat.* Euang. L. III. cap. XII.
** Vide et eiusdem *Prodromum Coptum* p. 145. 147. 148.
*** in *Hierozoico* Part. I. col. 691.

non erant eaedem apud Graecos et Aegyptios imagines, et multo minus earundem nomina inter se conueniebant. * *In Sphaera Aegyptiaca neque draco censetur, aut nominatur, neque vrsae, neque Cepheus; Sed aliae formae, aliaque nomina illis sunt indita.* ** Quam Graeci *Hydram* appellabant, Aegyptii dicebant *Nilum*. Et sic in aliis. Et in vniuersum *Chaldaeos et Aegyptios aliis formis et nominibus expressisse signa coelestia, certissimus testis est Hero in Astronomicis*, inquit IS. VOSSIVS Obseruat. in Catullum p. 302, ex cuius verbis intelligi non potest, sitne HERO ille, quem testem laudat, in lucem editus, an vero in Bibliothecis, inter Codd. MSS. etiamnum lateat. Certe post institutam inquisitionem multiplicem, etiam apud viros longe eruditissimos, rerumque harum peritissimos, nihil ea de re comperire potui. Et apparet etiam, diligentissimo et laboriosissimo FABRICIO, Hamburgensi, ignotum penitus librum hunc fuisse, vt qui mentionem illius, *** in *Bibliotheca Graeca*, omnino nullam fecerit. Sed video tamen FRIDERICVM LINDEBROGIVM † alicubi citasse HERONEM *Alexandrinum* περὶ ὀνομάτων ἀστρονομικῶν *pag.* 31; qui est haud dubie is ipse, ad quem VOSSIVS etiam prouocauerat. Discas quoque ex eo, librum hunc typis descriptum, publicique iuris factum, libris omnino rarioribus esse adscribendum. Ceterum eadem de re quoque egerat olim NIGIDIVS in †† *Sphaera barbarica*, quam distinxerat a ††† *Sphaera*

* ACHILLES TATIVS in Isagoge ad Aratum, in PETAVII Vranolog. p. 164.

** THEON ad Arati Phaenom. p. 56.

*** Vide illius Volumen II, siue Lib. III. cap. XXIV. p. 594.

† Notis ad Ammianum Marcellinum p. 123. Edit. Hamburg.

†† Citatur a SERVIO in Virgilii Georg. Lib. I. v. 19.

††† Idem in Georgic. Lib. I. v. 43.

ra Graecanica, quam et ipſam ediderat. Ex eo igitur, quod Aegyptii Sidus *Caniculae*, ſermone ſuo *Sothin* nuncuparent, conſequi nulla ratione poteſt, *Sothin* Aegyptiis proprie ſonare *canem*.

Quid de Plutarchi originatione cenſendum ſit, qui Sothin interpretatur grauidam.

§. 10. Videmus etiam, PLVTARCHVM vocem hanc eandem, ex auita Aegyptiorum lingua, longe alia ratione interpretari, quantumuis in ea videatur fuiſſe ſententia, ſignificationem vocis Aegyptiacae effeciſſe, vt Graeci Sidus illud dixerint κύνα, *Canem*, vel, vt Latini loqui amant, *Caniculam*. Ita enim ille: * Σωθὶ αἰγυπτιστὶ σημαίνει κύησιν ἢ τὸ κύειν, διὸ καὶ παρατροπῆς γενομένης τοῦ ὀνόματος, ἑλληνιστὶ κύων κέκληται τὸ ἄστρον, ὅπερ ἴδιον τῆς Ἴσιδος νομίζεται. *Sothi Aegyptiace ſignificat* κύειν, *id eſt grauiditatem, et vtero geſtare. Et hinc facta inclinatione, Stella Caniculae, quae propria Iſidis cenſetur, graece dicta eſt* κύων, *quaſi dicas Canem.* De παρατροπῇ, quam hic Scriptor optimus comminiſcitur, quaſi ex κύειν, vtero geſtare, temporis proceſſu natum fuerit κύων, *Canis*, nihil addo, illa enim fabulae ſimillima videtur. Ceteroquin vero interpretationem, quam hic auctor idem adfert, lingua Coptorum mirifice confirmat. Sciendum vero, Coptis ⲟⲩⲧ, *oti*, ſonare *vterum*, et addita nota generis foeminini ⲧ-ⲟⲩⲧ, *T-oti*. Vide Exod. XIII. 2. 12. 13. 15. ⲟⲓ porro, *Si*, eſt *accipere*. Erit igitur ⲟⲓ-ⲟⲩⲧ, *Si-oti*, *quae accipit vtero*, id eſt *concipiens*, et *vtero geſtans*. Graeci rem eandem, locutione plane ſimili, dicunt, ἐν γαστρὶ λαμβάνειν, et ἔχειν, *vtero accipere*, et *vtero geſtare*. Pondus non leue, iis quae dixi, addere videntur, quae in *Scala magna Kircheriana* occurrunt

* *de Iſide et Oſir.* p. 375. extr. 376.

runt p. 52. ⲟⲓ ⲱⲧϯ, *cauda ſcorpii, ſiue Statio Lunae prope Caniculam.* Ita haec olim in vſum meum deſcripſi, nam liber ipſe nunc prae manibus non eſt. Verum fateor libenter, me ea non capere, nec ſcire, quid de iis iudicandum ſit. Nam ſcorpius a cancro et canicula, interuallo nimio quanto diſtat. Videtur tamen hic ad *Sothin* digitus intendi, nomenque hoc, ita fere, vt interpretatus ſum, literis Coptorum ſcribi. Et ex hoc loco, hauſiſſe videtur KIRCHERVS, quod * toties fidenter affirmat, Sothin Coptice ſcribi ⲥⲓ ⲱⲧϯ, *Si-othi.* Quomodocunque tamen res iſta ſe habeat, aliter quam ſic ſtatuere non poſſum, interpretationem eorum, qui *Sothin* exponebant *grauidam*, et *vtero geſtantem*, fuiſſe tantum coniecturam auctorum quorundam recentium, non inelegantem ſane, nec ingenio deſtitutam, et quae ** ex Theologia Aegyptiorum priſca de *Iſide*, illuſtrari poterat; ſed quae tamen erat tantum coniectura. Neque mirari quenquam oportet, a temporibus Ptolemaeorum, nomina Deorum in Aegypto, vix aliter, quam per coniecturas, et nonnunquam ſatis incertas, explicari potuiſſe. Nam et linguam ipſam, et adhuc multo magis rationem orthographiae, vti apud gentes pleraſque alias, ita etiam apud Aegyptios, varias, labentibus annis, ſubiiſſe mutationes, nemini obſcurum poteſt eſſe, aut dubium, qui ad conſiderandum linguarum diuerſarum origines et progreſſus, animum vnquam aduertit. Haec eſt ratio, cur videamus, Graecos pariter atque Romanos, in explicandis priſcis Deorum ſuorum nominibus adeo fluctuare, adeo incertos ancipiteſque ſemper haerere.

Omnes

* in *Prodromo Copto* p. 145. 147. 148.
** Vide Libri huius III. cap. I. §. 4.

Omnes illorum in hoc negotio etymologiae, nil ſunt, niſi purae putaeque coniecturae. Apud Aegyptios et hoc praeterea accidit, vt a temporibus Pſammetichi, ac praeſertim Ptolemaeorum, literae peregrinae, graecae videlicet, in vſu communi inuectae, antiquas paulatim pepulerint, quod in ſcribendis et pronuntiandis vocibus permultis, confuſionem non exiguam, et paulatim etiam incertitudinem, variumque et multiplicem diſſenſum circa res has eruditorum, poſt ſe non potuit non trahere. Denique et hoc tenendum eſt, Theologiam Aegyptiorum arcanam, ex qua vera nominum ſacrorum explicatio peti tantum poterat, regnantibus Ptolemaeis in Aegypto, paucis valde fuiſſe perſpectam, et ante natiuitatem Seruatoris, vt videtur, plane intercidiſſe, vt itaque in permultis, nonniſi ſolis coniecturis locus eſſe potuerit. Si quis ea, quae de originatione nominis Oſiris, * ex PLVTARCHO, aliiſque quos ille laudat auctoribus antiquis, attulimus, meditate expenderit, a mea ſententia alienus eſſe non poterit. Licebit ergo mihi, etiam meam de vera nominis *Sothis* originatione et ſignificatione opinionem, beneuolo lectori offerre.

Vox Sothis interpretari licet initium, vel initium temporis.

§. 11. Operae autem pretium eſt, obſeruare, in voce Σῶθις, vltimas duas literas, videri eſſe terminationem graecam, et a Graecis additas. Nam PETOSIRIS, Aſtrologus Aegyptius perantiquus, ex quo paſſim nonnulla deſcribit VETTIVS VALENS, auctor hucuſque ineditus, ** ſidus caniculae Aegyptiace appellat τὸν σηθ, tametſi *** SALMASIVS autumauerit, ipſum Sidus Aegyptios dixiſſe Σῶθιν,

* Lib. II. cap. I. §. 10. 11. 12.

** Vide SALMASIVM de ann. Climacter. p. 113. 114. 615. MARSHAMVM in Canone Chronico p. 8.

*** Libro cit. p. 615.

Σῶθιν, Stellam vero, quae in ore canis locatur, Σήθ, vel Σίτ. Argumentum, quo inductus vir ille ſummus, ita cenſuit, mihi quidem minus firmum videtur. Σῶθις aperte Graecorum terminationem prae ſe fert. Aegyptii vero nomen illud pronuntiabant Σήθ, vel Σώθ, quippe quod eodem redit. Nam in lingua Aegyptiorum, vocales, ac praeſertim ή, et ώ, mirum in modum inter ſe permutantur. Auguror porro, voce Σήθ, vel Σώθ, priſcos Aegyptios, non tam ſidus ipſum, quam potius illius exortum, et diem, vel tempus, quo illud oritur, deſignare voluiſſe. Si opinio me non fallit, Aegyptii ortum caniculae denominarunt σήθ, a re, in hiſtoria eorum, ac etiam religione, ſi quaequam alia, maxime memorabili, quod ſcilicet a Sideris illius ortu, annos ſuos auſpicarentur. Vide ſupra §. 3. 5. Quibus nunc haec CENSORINI iungimus, *de die natali* cap. XVIII: *Aegyptiorum annum —— Graeci κυνικὸν, Latini canicularem vocamus, propterea, quod initium illius ſumitur, cum primo die eius menſis, quem vocant Aegyptii Thot, caniculae ſidus exoritur.* Et iſta THEOPHILI, veteris Aſtrologi inediti: * Τὴν τῦ ἐνιαυτῦ ἀρχὴν οἱ παλαιότατοι τῶν Αἰγυπτίων καὶ σοφώτατοι ἀστρονόμοι ἐκ τῆς τῦ κυνὸς ἀνατολῆς ὥρισαν εἶναι. *Veluſtiſſimi et ſapientiſſimi Aegyptiorum Aſtronomi decreuerunt, anni principium putari debere ab ortu caniculae.* Et eius quidem rei hanc fuiſſe rationem addit, quod eodem tempore, Nilus augeri et adſcendere conſueuerit. Huius autem rei memoriam, Sacerdotes nomine *Sothis*, aut potius *Seth*, et *Soth*, quo deſignabant ortum caniculae, complecti et conſeruare voluiſſe arbitror. Nempe ⲥⲱ, *Dſo*, vel *So*, lingua Aegyptiorum

* Apud GAVLMINIVM in notis ad vitam Moſis Lib. I. cap. X.

admodum frequenter dicitur *caput*, et eadem quoque voce designari solet *principium* rei. Pro ϫⲱ vero, reperitur etiam ϫⲱϫ, Ps. CXVIII. 22. Matth. XXI. 41. Actor. IV. 11. ϫⲱⲓϫ vero satis commode a Graecis efferri potuit Σὼθ, et, quoniam apud Aegyptios vocales saepe et vehementer permutantur, Σήθ. Voce igitur hac designaretur *principium κατ' ἐξοχήν*, *annorum* scilicet, et, vt volebant Aegyptii, etiam *totius mundi*. §. 6. 7. Ceterum, * cum ⲞⲈⲓⲥ, *O-eisch*, vel *ô-eis*, antiquissima dialecto Thebaidis, *tempus* significet, suspicor omnium primo ortum caniculae dictum fuisse ϫⲱϫ-ⲞⲈⲓⲥ, *Soth-oeis*, vel *Sothois*, id est, *principium temporum*, vnde forte Graecorum Σῶθις re vera ortum est; sed postea temporum decursu, vocem fuisse abbreuiatam et contractam, solamque primam syllabam ϫⲱϫ, quae *principium* sonat, retentam.

Alia interpretatio additur, priori quoad rem persimilis.

§. 12. Est et aliud, quod mihi, rem hanc cogitationibus voluenti et reuoluenti, in mentem semel iterumque venit, quod lectoris eruditi et cordati iudicio beneuolo nunc submittam. Certum est, veteres Aegyptiorum Astrologos, nomen hoc, quod Graeci scribere solent Σῶθις, extulisse Σήθ, §. 11. Ex quo sequeretur, quod illic etiam monuimus, Σῶθις sic efferri secundum terminationem graecam. Non tamen negligendum in vniuersum, quod ex testimonio PLVTARCHI discimus, (§. 10.) ex ipsis Aegyptiis, quosdam vocem illam sic interpretari solitos fuisse, tanquam in proprio ipsorum sermone sonaret *Sothi*. Probabile mihi iam fit, vocem hanc, literis Copticis scriptam, re ipsa sonuisse ϯ-Ⲥⲟⲩⲉⲓϯⲉ, *T-hueite*, quod in dialecto Thebaidis

* Vide supra Lib. II. cap. I. §. 14.

baidis antiquiſſima, *principium rerum* deſignat. Itaque interpretes Copti, verba illa Moſis Geneſ. I. 1. quae in verſione Alexandrina ſic ſonant: Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, in dialecto Thebaidos ita tranſtulerunt: * ⲍⲛ ⲧⲉⲍⲇⲟⲉⲓⲧⲉ ⲁ-ⲡⲛⲇⲟⲧⲉ ⲧⲁⲱⲓⲇ ⲛⲧⲡⲉ ⲙⲛ ⲡⲕⲁⲍ. Ex eo intelligitur, priſcos Aegyptios, *principium* cuiuſque *rei* dixiſſe ⲧⲉ-ⲍⲇⲟⲉⲓⲧⲉ, vel, quod plane idem eſt, ⲧ-ⲍⲇⲟⲉⲓⲧⲉ, *T-hueite*. Nomen vero Aegyptiacum *Sothis*, Graeci ** nonnunquam efferunt Σώθην, ex quo non inepte colligas, in Aegypto quoſdam vocem illam pronuntiaſſe *Sothi*, alios vero *Sothe*. Hoc autem poſtremum eſſet *Thueite*. Ceterum vox Aegyptiaca ⲧⲍⲇⲟⲉⲓⲧⲉ, proprie ſignificat *primam*, in genere foeminino, et ſubintelligitur aliquod ſubſtantiuum, vt loquuntur grammaticorum filii, generis foeminini. Non poteſt intelligi *dies*, nam vox Aegyptiaca, djem ſignificans, ⲡ-ⲉⲍⲇⲇⲟ, ſemper effertur genere maſculino. Neque video, quodnam poſſit hic ſubſtitui aliud nomen, cui ⲧ-ⲍⲇⲟⲉⲓⲧⲉ, *prima*, conueniat, niſi ⲧ-ⲇⲛⲙⲇⲟ, *hora*, vox etiam foemininī generis. Etiam apud Scriptores exoticos, vbi adiectiuum aliquod numerale, abſolute et elliptice ponitur, ſaepius ſubintelligenda venit *hora*, vti in his TITI CALPVRNII *Ecloga* V. 60:

Verum vbi decliui iam NONA tepeſcere Sole
Incipiet, ſeraeque videbitur hora merendae.

Sic igitur ⲧ-ⲍⲇⲟⲉⲓⲧⲉ proprie ſignificaret *horam primam*, ſiue diei, ſiue menſis, ſiue anni,

* Ita verba haec citata inueni in aliquo libro antiquo MS. in dialecto illa exarato.

** PLVTARCHVS *de ſolertia Animal.* p. 974.

ſiue denique etiam totius mundi. In dialecto communiori, ſiue inferioris Aegypti, vox Aegyptiaca effertur ⲧ-ϩⲩⲓⲧ, *t-huiti*, Luc. II. 2. Actor. XII. 10. Hoc videtur eſſe *Sothi*, vti prius *Sothe*, quemadmodum nonnulli vocem eandem pronuntiabant. Obſeruandum autem, literas has *Th*, et *S*, ſomo ſibi inuicem perquam vicinas, in omnibus fere linguis, cumprimis vero Orientalibus, ſaepe permutari, ita vt litera eadem, a quibuſdam, vt *th*, ab aliis vero, vt *s*, et ab aliis denique, vt *t*, pronuntietur. Simili modo res etiam ſe habet in Aegyptiorum lingua. Vna eademque vox, a Graecis quibuſdam *Thuiti*, ab aliis vero *Suithi*, et contractius *Sothi* efferri poterat. Tandem etiam vocalis vltima *i*; et *e*, abiici coepit, quod in aliis quoque vocibus Aegyptiacis vſu venire, ex Coptorum libris certo nouimus. Sic igitur principium mundi, principium anni, principium menſium, a quibuſdam dictum fuit *Seth*, et *Soth*, ab aliis vero *Thoth*. Expoſitio haec mea, tanto probabilior erudito lectori videri poterit, quod * *Sothis*, de qua hic diſputamus, oriatur primo die illius Menſis, quem Aegyptii appellarunt *Thoth*, vel *Thoyth*. Vti igitur menſis ipſe, qui primus eſt menſium Aegyptiacorum, et a quo initia ducunt gentis huius anni, lingua ipſorum, recte dici potuit *Thoth*, vel *Thuit*, id eſt *Principium* temporis, ita prima quoque menſis huius dies, quae *primam horam* totius anni ſecum vehit, quod proprie ſignificat *Thuith*, eodem nomine quam optime inſigniri potuit. De hac vero obſeruatione arbitrari, penes eruditum lectorem eſto.

* In ſimiles fere cogitationes video incidiſſe etiam HENR. DODWELLVM in libro Anglico quem inſcripſit *a Diſcourſe concerning Sanchoniathons Phoenician hiſtory*, p. 25.

CA-

CAPVT III.

De Bubaſti, Aegyptiorum Numine, quod Graeci Dianam, ſiue Lucinam interpretantur.

Luna ſiue Iſis, ab Aegyptiis, pro diuerſa ad terram relatione, diuerſa nomina accipiebat. *Bubaſtis* referebatur ad *Lunam nouam*. §. 1. De *Bubaſti* Aegyptiorum Dea teſtimonia veterum. §. 2. Eam Graeci *Dianam* interpretantur. §. 3. Quia nempe Bubaſtis et virgo habebatur, et Luna, ac inſuper Lucina. §. 4. *Bubaſtis* erat aliquod *Lunae* Symbolum, ideoque certo ſenſu eadem cum *Iſide*, etſi huius perhiberetur filia. §. 5. Eaque de cauſa felis ipſi, ceu viua quaedam eius imago conſecrata erat §. 6. Erat etiam eadem cum Aegyptiorum Εἰλειθυία, ſiue *Lucina*, pluribus in locis culta. §. 7. De Sacris Lucinae huius antiquiſſimis et cruentis in Aegypto quaedam obſeruantur. §. 8. Lucina ſiue Bubaſtis Aegyptia, praeerat mulieribus parturientibus, et natiuitati infantum. §. 9. Erat autem *Bubaſtis*, ex ſententia Sacerdotum Aegyptiorum, proprie Symbolum Lunae nouae. §. 10. Nomen *Bubaſtis* Aegyptiacum explicatur. §. 11.

§. 1.

Luna, ſiue Iſis, ab Aegyptiis, pro diuerſa ad terram relatione, diuerſa nomina accipiebat.

Quemadmodum *Sol*, nomine *Oſiridis* apud Aegyptios inſignis, pro varia ad terram noſtram relatione, variiſque effectibus, nomina quoque diuerſa accipiebat, cultuque diſtincto concelebrabatur, ita *Lunae*, quam ab Aegyptiis nomine *Iſidis* religioſe cultam fuiſſe, cap. I. probauimus, idem etiam omnino contigit. Subinnuere hoc voluit CHAEREMON, *Sacrorum* in Aegypto

Scriba, vbi asseruit, * *ea quae de Osiride et Isíde perhiberentur, et fabulas Sacerdotales omnes ad Lunae modo crescentis, modo senescentis varietatem, et ad Solis cursum referri.* Vna igitur eademque Luna, in Sacris Aegyptiorum, alia quodammodo censebatur, quando e radiis solaribus egressa, noua apparebat, et crescere incipiebat, ideoque alio nomine, alioque cultu honorabatur: et rursus alia habebatur, quando pleno Orbe lucebat; sed et iam senescens, decrementa minabatur, mox secutura, nam et tum aliis decorabatur nominibus, alioque celebrabatur cultu. Si quid recte iudico, *Isis* siue *Luna*, quando noua apparebat, a Sacerdotibus Aegyptiorum dicebatur *Bubastis*; vbi vero lucis plenitudinem assecuta fuisset, *Buti* nomine celebrabatur. Vel, vt sententiam meam nonnihil distinctius explicem: Sacra *Bubasti* fieri solita, referebantur ad *Nouam Lunam*, illiusque effectus; Sacra vero *Buti* instituta, ad *plenam Lunam*, bonaque ab illa sperata. De Numine priori dicam hoc capite; sequenti vero differam de posteriori.

De Bubasti, Aegyptiorum Numine, testimonia veterum.

§. 2. Vt dictis, primo de *Bubasti*, fidem faciam, res paulo altius repetenda est. *Bubastcos* igitur, vt Numinis Aegyptiorum Sacrosancti, veterum complures mentionem faciunt. Inter illos antiquissimus est HERODOTVS, cuius en! verba e Lib. II. c. 137: Ἡ Βάβασις κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν ἔστι Ἄρτεμις. *Bubastis lingua graeca dicitur Diana.* Templum huic Deae splendidum ** in vrbe *Bubasto* aedificatum erat, cuius auctor idem, eodem Libro, cap. 138 meminit quodque illic describit. Idem cap. 156 ait: Ἀπόλ-

λωνα

* in PORPHYRII Epistola ad Anebonem, praemissa Iamblicho de Myster. Pag. VII. VIII.

** Erat et in Praefectura Heliopolitana Arx, et in ea Templum τῆς ἁγίας Βαβάσιως, *Bubastcos agrestis*, teste Epistola *Oniae* apud IOSEPHVM Antiqu. Lib. XIII. C. III. p. 638. Edit. Belgic.

λωνα καὶ Ἄρτεμιν Διονύσου καὶ Ἴσιος λέγουσι εἶναι παῖδας. Αἰγυπτίοι δὲ Ἀπόλλωνα μὲν Ὧρος, Δήμητρα δὲ Ἶσις. Ἄρτεμις δὲ Βάβαστις. *Apollinem et Dianam Aegyptii dicunt Bacchi et Iſidis liberos. Apollo vero Aegyptiace Horus dicitur: Ceres autem Iſis: Diana vero Bubaſtis.* In honorem huius *Bubaſteos*, ſiue *Dianae*, quotannis *Bubaſti*, in Templo huic Numini dedicato, Sacra celebrabantur pompa ſolenni, ad quam ex tota Aegypto, tempore * HERODOTI, vſque ad ſeptingenta hominum millia confluere ſolebant. Ad eam Pompam reſpicit forte OVIDIVS Lib. IX. Metam. v. 687.

Cum medio noctis ſpatio ſub imagine Somni
Inachis ante torum pompa comitata Sacrorum
Aut ſtetit, aut viſa eſt, inerant lunaria fronti
Cornua, cum ſpicis nitido flauentibus auro,
Et regale decus; cum quo latrator Anubis,
SANCTAQVE BVBASTIS, variisque coloribus Apis,
Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet,
Siſtraque erant: nunquamque ſatis quaeſitus Oſiris,
Plenaque ſomniferi ſerpens peregrina veneni.

Sacra igitur *Bubaſtia* per totam Aegyptum celebria erant inprimis et Sacroſancta, vſque adeo, vt OVIDIVS *Bubaſtin* non vereatur appellare *Sanctam.* Aeuo etiam ** DIODORI *Siculi* in manibus hominum erat Inſcriptio quaedam, perantiqua vti ferebant, in qua laudi ſingulari ducebatur Iſidi, quod *ipſi aedificata eſſet Bubaſtus*, vbi nempe tanta religione, a populo vndecunque commeante, coleretur. Ipſis quoque Graecis et Romanis, *Sacra* haec *Bubaſtia*,

* Vide eum Lib. II. cap. 60.
** Vide eum Lib. I. p. 24.

baſtia, crebris ſermonibus, non parum celebrata erant. Meminit eorum GRATIVS *de Venatione* v. 42.

Vix operata ſuo, SACRA ad BVBASTIA, lino
Velatur ſonipes aeſtiuae turba Canopi.

Bubaſtin Aegyptiam, Graeci Dianam interpretantur.

§. 3. Numen hoc, quod auito Aegyptiorum ſermone *Bubaſtin* nuncupatum eſſe vidimus, graeci Sacrorum interpretes in Aegypto, *Dianam* interpretari conſueuerant, idque HERODOTVM teſtari intelleximus. Sicubi ergo veteres de *Diana* Aegyptiorum loquuntur, non aliam, quam hanc noſtram *Bubaſtin* intelligunt. Equidem ſi IVVENALEM audimus, *Dianam* Aegyptii omnino non coluerunt. Eſt notiſſimus hic eius verſus:

* *Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.*

Sed poteſt hic eſſe verborum illorum ſenſus, oppida permulta colere *canem*, *Anubim* videlicet, de quo plura dicentur Libro V, in quibus tamen nullus *Bubaſti*, vel *Dianae*, cultus offerretur. Aut potuit Poëta id intelligere de *Diana* Graecorum et Romanorum, montium nemorumque cuſtode, et venatorum Praeſide, quam ſane in *Bubaſti* ſua; Aegyptii non venerabantur. Forte etiam tempore illo, quo ſcribebat IVVENALIS, *Sacra Bubaſtia*, olim Aegyptiis Sacroſancta, ſummaque ſolennitate ac laetitia celebrata, a priſtino ſplendore magnopere deſciuerant, neglectaque iacebant. Neque etiam Scriptor aliquis aetate illa iunior, nunc mihi ſuccurrit, qui de Sacris illius Deae, ceu ſuo etiamnum aeuo celebratis, loquatur. Non mediocriter ſuſpicionem hanc auget STRABO,** qui loquens de Vrbe

* Satyra XV. 8. ** Lib. XVII. p. 353.

be *Bubaſto*, ſolum eius nomen commemorat, Templi vero ibidem viſendi ſumtuoſi et vere admirandi, mentionem plane nullam iniicit. Quicquid tamen ſit, illud dubio omni carere debet, Graecos Numen Aegyptiorum ſanctiſſimum, *Bubaſtin*, interpretari ſolere *Dianam*. Vnde STEPHANVS Ethnicographus, loquens de *Bubaſto*, vrbe Aegypti inferioris, ait, nomine hoc venire *et vrbem et Templum Dianae*, innuens, de quo dubitandi locus nullus eſt, noſtram *Bubaſtin*. Sic et Graeci alii, qui hanc tantum inter ſuam *Dianam*, Aegyptiorumque *Bubaſtin* differentiam obſeruant, quod * cum illa perhiberetur filia *Latonae*, haec *Baccho*, id eſt *Oſiride*, et *Cerere*, ſiue *Iſide* prognata traderetur. Ex eo igitur ratio petenda eſt, quod quidam *Artemiſiam* herbam ** appellauerint *Bubaſtheos cardiam*, id eſt *cor Bubaſtheos*. Nam herba illa graece nomen habuit *Artemiſiae*, *** *ex nomine Dianae*, *quae graece* Αρτεμις *dicitur*. Et idem plane Aegyptiis ſonabat *Bubaſtis*. Eodem ſpectant fabulae Graecorum, de Diana in felem conuerſa, vt Gigantum tyrannidem et tremendos impetus ſalua euaderet. Rem prolixe narrat OVIDIVS Metam. Lib. V. vbi et haec occurrunt v. 329.

Delius in coruo, proles Semeleia capro,
Fele ſoror Phoebi, niuea Saturnia vacca,
Piſce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.

Quibus

* HERODOTVS Lib. II. c. 156. PAVSANIAS in Arcadicis. Vtriuſque loca videbis deſcripta infra cap. IV. §. 4.

** APVLEIVS de herbis cap. 10. vbi tamen in Editione mea peſſime legitur *busbaſtheos cardiam*. Lege, vti hic ſcriptum dedi.

*** Idem ibidem cap. 12.

Quibus conſentiunt ea quae ex NICANDRO refert ANTONINVS LIBERALIS in *Metamorph.* Fab. XXVIII. Nominantur illic Dii, qui vim Typhonis euaſuri, in Aegyptum aufugientes, formam mutarunt. Καὶ Ἀπόλλων μὲν ἐγένετο ἱέραξ, Ἑρμῆς δὲ Ἶβις, Ἄρης δὲ λεπιδωτὸς ἰχθύς, Ἄρτεμις δὲ * ἄιλθρος. *Apollo mutatus eſt in accipitrem, Mercurius in Ibin, Mars in piſcem Lepidotum, Diana in felem.* Nam haec reſpicere ad Dianam non Graecorum; verum Aegyptiorum, ſiue *Bubaſtin*, allata ex LIBERALI verba, iam ſic planum faciunt, idque ex eo non leuiter confirmatur, quod perhibeatur, mutationem illam contigiſſe, cum *Typhon* Deorum inimicus eos perſequeretur. Sciunt etiam eruditi, non quidem Dianae Graecanicae, at *Bubaſti* Aegyptiorum, felem habitam fuiſſe ſacram, ciuſque viuam quandam imaginem. Et hinc ſine dubio eſt, quod ** quidam memoriae prodiderint, *Bubaſtin* lingua Aegyptiorum *felem* dici, quod tamen ſecus ſe habere, infra videbimus. Id vero certum eſt, incolas vrbis *Bubaſti*, feles, in honorem Deae ſuae, tanto in pretio habuiſſe, *** vt eas poſt mortem, ceu ſacras, multo ſumtu conditas, ſepulchris intulerint. *Bubaſteos* vero Deae ſimulachra, aut in ſpeciem felis ſingebantur, † qualia adhuc paſſim viſuntur, aut vbi etiam cetera quidem

* Ita locum hunc correxit SAM. BOCHARTVS Hierozoic. Part. II. col. 63. cum antea legeretur σίλυρος, eumque ſequuntur eruditi omnes. Adde HYGINI Poëtic. Aſtron. Lib. II. c. 28.

** STEPHANVS in Βύβαστος.

*** HERODOTVS Lib. II. c. 67.

† Vide *Tabulam Bembinam* Segmento III. Figura T. T. et *l'Antiquité expliquée* de MONTFAVCON To. II. Tab. CXXVI. Num. 5.

dem formam corporis humani prae se ferrent, * iis tamen caput felinum imponebatur.

§. 4. Verum quam tandem putabis fuisse *Bubasteos* Aegyptiacae cum *Diana* Graeca similitudinem aut affinitatem? vt duo haec Numina inter se comparari, ac veluti permutari potuerint, vtque prior nomine posterioris donaretur. Est inter Numen vtrumque aliqua discrepantia, quam in antecedentibus verbulo tetigimus. Nam alium Graeci *Dianae* suae ortum assignant, ex Ioue scilicet et Latona, alium Aegyptii Deae *Bubasti*, ex Osiride nempe et Isida, §. 3. Aliam quoque Dianae Graeci curam imponunt, aliud veluti regnum attribuunt, volunt namque imperio eius singulariter subesse montes, nemora, fontes, feras, et quicquid ad venationem pertinet. Eruditis ignota non est *Diana venatrix* Graecorum et Romanorum. Horum vero omnium vestigium plane nullum in Theologia Aegyptiorum mythica reperio. At sunt tamen quaedam Numini vtrique communia, in quibus *Dianae* conuenit cum *Bubasti*. Nam 1) *Dianam* Graeci fingunt virginem puram, castam, intactam: Ideoque a CALLIMACHO, Hymno in Dianam v. 6 introducitur a Ioue hoc petens

Bubastin Graeci dixerunt Dianam, quod et virgo esset, et Luna haberetur, ac insuper Lucina.

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν.

Da mihi Pater virginitatem in aeternum custodire.

Ad quem locum plura huc spectantia dabit in Commentario EZECHIEL SPANHEMIVS. Idem omnino in fabulis Sacerdotalibus de *Bubasti* tradebatur. Nullus certe ipsi tribuitur maritus, liberi nulli. Et

* MONTFAVCON Diar. Italic. p. 227. et eiusdem *Antiquité expliquée*, loc. cit. num. 7. Adde PIGNORII Expos. Tab. Isiacae p. 66. Edit. Amstel.

Et non alia quam haec videtur fuiſſe cauſa, quod OVIDIVS Deam hanc *ſanctam Bubaſtin* dicendam eſſe cenſuerit, §. 2. * Apud Romanos enim *Sancta* et *Virgo* aequipollent, eſtque *ſancta pudicarum apud eos appellatio.* 2) *Diana* Graecis erat Symbolum aliquod Lunae, cuius vim et poteſtatem in illo religioſe venerabantur, quod vel Simulachra eius ſatis ſuperque teſtantur, quippe quae Lunam corniculatam in capite vt plurimum gerunt. Conſentit in eo tota Graecorum Theologia Phyſica, ex cuius praeceptis CICERO ſcribit de *natura Deorum* Lib. III. cap. 20. *Lunam Graeci Dianam putant.* Et OVIDIVS Metam. Lib. XV. 196.

Nec par aut eadem nocturnae forma Dianae
Eſſe poteſt vnquam: ſemperque hodierna ſequente,
Si creſcit minor eſt; maior, ſi contrahit orbem.

Et quid rei omnibus notae diutius inhaeream? *Bubaſtin* vero Aegyptiorum filiis nihil aliud fuiſſe, quam aliquod Lunae Symbolum, mox liquido probabitur, §. 5. 3) Graeci, quod mireris, ** Dianae, quantumuis virgini caſtae et pudicae, munus impoſuere obſtetricis, vnde ei nomen εἰληθύας, vt Romani *Lucinae*, proprium eſſe voluerunt. Nam *** εἰλήθυιαι ſunt αἱ ἐπὶ τῶν τικτουσῶν θεαὶ, *Deae, quae mulieribus parientibus praeſunt.* HORATIVS ergo *Dianam* ſic precatur Carmin. Lib. III. Od. XXII.

Montium cuſtos nemorumque virgo
Quae laborantes vtero puellas
Ter vocata audis, adimiſque letho
Diua triformis.

Ad

* SPANHEMIVS ad Callimachum loc. cit. p. 126.
** PLATO in *Theaeteto*, p. 71. Ed. graec. Baſil. Vide inprimis SPANHEMIVM in Callim. p. 148.
*** HESYCHIVS in hac voce.

Ad quae verba haec commentatur *vetus Scholiaſtes* Cruquianus: *Ipſa quoque Lucifera, quod parientibus lucem ferat, vnde Lucina a parturientibus inuocatur, quod ideo ei datum eſt, quod prior a Latona Matre edita, in fratris Apollinis partu, eam iuuerit, et parturienti praeſtiterit ei obſtetricis officium.* In *Carmine Seculari* Poëta idem Deam iſtam his verſibus compellat:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithya, tuere matres
Siue tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.

Id vero eſt, quod etiam Aegyptii de ſua *Bubaſti* praedicabant, in cuius tutela puerperas, et infantes partu in lucem edendos, eſſe volebant. Extat * NICARCHI Epigramma in mulierem, quae a nemine adiuta, fauſto partu, citra laborem filiam pepererat, cuius hi ſunt verſus vltimi:

Οὕτω Βέβαστις κατ[illegible]ύεται. εἰ γὰρ ἑκάστη
Τέξεται ὡς αὐτή, τὶς θεῷ ἐσὶ λόγος;

Hoc modo Bubaſtis inutilis redditur. Nam ſi mulier quaeuis
Sic pepererit, vt Philaenium, quis rationem habebit Deae?

Vide et quae dicentur §. 5. Huc etiam pertinent, quae veteres de Aegyptiorum Εἰληθυίᾳ memoriae prodiderunt, quae alia eſſe non poteſt, quam noſtra *Bubaſtis*, et de qua nos §. 7 agemus. Haec fere ſunt, quae de *Bubaſti* dicenda erant. Ea tantum diſtinctius nonnihil euoluenda, bonis argumentis com-

* in *Anthologia* Graeca, Lib. I. Cap. LXXII. Epig. III. p. 154. Edit. Wechel.

communienda; et nonnullis obſeruatio[illegible]us illuſtranda eſſe arbitror.

Bubaſtis erat ſymbolum aliquod Lunae, ideoque certo ſenſu cum Iſide eadem, etſi huius perhiberetur filia.

§. 5. *Bubaſtin* igitur Aegyptiorum, ad ipſorum *Iſin*, ſiue *Lunam* referri, aut re ipſa nihil aliud eſſe, quam Symbolum *Lunae*, in certa quadam ad terram noſtram relatione ſpectatae, certum eſt, multiſque rationibus probari poteſt. Euidens profecto eſt, in vetuſtis Aegyptiorum Monumentis, *Iſidem* eandem nonnunquam haberi cum *Bubaſti*, et Bubaſtin vice verſa eandem cum Iſide. Nam Inſcriptio illa antiqua, cuius ex DIODORO mentionem feci §. 2, affirmat, *Bubaſtum vrbem, Iſidi eſſe aedificatam*, adeoque etiam conſecratam. Scimus autem ex hiſtoria, Deae, quae in vrbe illa praecipue honorabatur, et a qua nuncupata etiam fuit *Bubaſtus*, proprium nomen extitiſſe *Bubaſtis*. §. 2. *Iſis* ergo et *Bubaſtis* hic deſignant vnum idemque Numen. De *Bubaſti* porro obſeruauimus §. 4, quod adeſſe credita fuerit mulieribus parturientibus, et Aegyptiorum *Ilithya*, ſiue *Lucina* ab omnibus habita. Hoc vero OVIDIVS refert [illegible] *Iſidem*. Hanc enim inuocat, vt Corinnam parturientem adiuuet.

* *Iſi, Paraetonium, genialiaque arua Canopi*
Quae colis et Memphim, palmiferamque Pharon
Per tua ſiſtra precor, per Anubidis ora verendi:
Sic tua Sacra ſemper pius Oſiris amet,
Pigraque labatur circa donaria ſerpens,
Et comes in Pompa corniger Apis eat.
Huc adhibe vultus: et in vna parce duobus.
Nam vitam dominae tu dabis: illa mihi.
Lenis ades, precibuſque meis faue Ilithyia.
Digna eſt, quam iubeas muneris eſſe tui.

Et

* Amorum Lib. II. Eleg. XIII.

Et in his *Isidem* cum *Bubasti* permutari atque confundi, manifestum est. Possentque, si res id poscere, * plura in eundem sensum adferri. Verum poteritne *Bubastis* eadem esse cum *Iside*, cum in fabulis Aegyptiorum Sacris, illam huius venditatam fuisse nouerimus filiam? §. 3. An filia cum matre sua censeri poterit, hoc sensu, eadem? Si ea, quae de *Bubasti* et *Iside* in fabulis Sacerdotum apud Aegyptios tradi solebant, historice explicanda, vel ex historia antiqua Aegyptiorum illustranda essent, absurdus videri possem, talia asserendo. At in Theologia Aegyptiorum Symbolica, haec locum habere sine vllo incommodo possunt. Sicut enim *Horus*, qui re ipsa erat censebaturque *Sol*, non minus atque *Osiris*, ** huius tamen dici filius recte poterat, ita non minus apte *Bubastin* perhibere filiam *Isidis* licebat, etsi vtraque Symbolum aliquod esset *Lunae*. Nempe post coniunctionem Solis cum Luna, quod est veluti vtriusque connubium, Luna e radiis Solaribus emergens, noua apparet, eundoque crescit, et tum Stylo symbolico, velut recens nata, considerari potest. Notum sane est Studiosis rerum Iudaicarum, Hebraeorum Magistros ipsam *nouam Lunam*, siue coniunctionem Solis cum Luna *** appellare מולד, *natiuitatem*, vel *Lunam recens natam*. Sic etiam Poëtae loquuntur, quos inter HORATIVS ita canit *Carminum* Lib. III. Oda XXIII.

Coelo supinas si tuleris manus
NASCENTE LVNA, rustica Phidile.

En!

* Vide supra Lib. I. cap. V. §. 12. collat. cum 7.
** Vide supra Lib. II. cap. IV. §. 11.
*** MAIMONIDES *de consecratione Calendarum* passim. BVXTORFFIVS in Lexico magno Talmudico voce מולד, col. 955.

En! habes *Lunam naſcentem.* Quod ſic *vetus Scholiaſtes* explicat: *Solent ruſticae mulieres in initio primae Lunae ad coelum effundere preces.* Quibus iunge haec LVCRETII Lib. V. v. 749.

Quo minus eſt mirum, ſi certo tempore LVNA
GIGNITVR, et certo deletur tempore rurſus.

Cum vero *Bubaſtis*, quod mox oſtendemus, Symbolum proprie fuerit Aegyptiis *Nouae Lunae*, eaque poſt congreſſum Solis cum Luna, tanquam recens nata in coelo appareat, et ab illo tempore incrementa capiat, iam vides, quomodo in Theologia Sacerdotum Symbolica, *Bubaſtis*, perquam commode, *Oſiridis*, id eſt *Solis*, et *Iſidis*, ſiue *Lunae* potuerit dici filia.

Eaque de cauſa, Bubaſti felis, tanquam viua eius imago conſecrata erat.

§. 6. Fatendum igitur eſt, *Bubaſteos* Numen, ex Aegyptiorum ſententia, reſpectum habuiſſe ad Lunam, aut habitam fuiſſe ipſam *Lunam*, nempe in certa quadam relatione ad terram noſtram ſpectatam. Mirifice id illuſtrat animal Deae huic dicatum et proprium, *felis* videlicet, quam viuam quandam eius imaginem eſſe aſſeuerabant Aegyptii. §. 3. Sunt enim prorſus mira, quae de animalis huius ad Lunam relatione, literis mandarunt veteres. Ea omnia ex Aegyptiorum diſciplina fluxiſſe, nullus dubito, et ſatis ſuperque ex illis intelligere licet, qua de cauſa gentis huius Sacerdotes, *felem Lunae* voluerint eſſe Symbolum. Quaedam, vt dictis fides conſtet, hic adferre, ſuperuacaneum non erit. Memorabilis eſt locus apud DEMETRIVM, quem cognominant *Phalereum*, de Elocutione §. 159. Edit. Oxon. Πολλὰς δὲ καὶ (μύθας) προσπλάσσομεν προσφόρως καὶ οἰκείως τοῖς πράγμασιν. ὥσπερ τις περὶ αἰλούρου λέγων, ὅτι συμφθίνει τῇ σελήνῃ καὶ ὁ αἴλουρος, καὶ συμπαχύνεται, προσέπλασσεν, ὅτι ἔνθεν

ἔνθεν καὶ ὁ μῦθός ἐστιν, ὡς ἡ σελήνη ἔτεκε τὸν αἴλυρον. — ὁ μῦθος ἐμφαίνει χαρίεν τι, αἴλυρον ποιῶν σελήνης παῖδα. *Multas autem praeterea fabulas fingimus vtiles et accommodatas rebus: veluti quidam de fele dicens, quod vna cum Luna extenuaretur, et pingueſceret, adſinxit: hinc et fabula exorta eſt, Lunam peperiſſe felem. —— Fabula illa prae ſe fert lepidum quiddam, dum facit felem Lunae foetum.* Fingit auctor hic, elegans ceteroquin lectuque dignus, fabulam de fele, quod eius pinguedo cum Luna et creſcat et decreſcat, ab oratore quodam excogitatam eſſe, in quo vtique fallitur. Nam id ex veteribus multi memoriae prodidere, neque dubito, quin fabula illa originis ſit Aegyptiacae, ſicut et illa, quae ibidem ſubiungitur, de Fele Lunae filia. An non enim lectori ſagaci confeſtim ſubolet, reſpici ad illam Aegyptiorum traditionem ſacerdotalem, *Bubaſtin*, quae ſub imagine felis repraeſentabatur, aut cuius imago erat viua felis, §. 3, filiam eſſe *Iſidis*, id eſt *Lunae*, §. 5? Fabulam aliam, ad idem negotium ſpectantem, adfert DAMASCIVS in *vita Iſidori*, his fere verbis: * *Felem aiunt Lunae dies numerare foetibus, quos edit. Septem enim primo, ſex partu ſecundo, tertio quinque, quarto quatuor, quinto tres, ſexto duos, ſeptimo vnum, et tot eſſe foetus felis, quot habet Luna dies.* Lunae enim dies ſunt XXVIII, et tot hic numerantur foetus, quos ſucceſſiue felis edere ſoleat. Similia habet PLVTARCHVS, vbi rationem reddit, cur in Siſtris Iſiacis, felis fingi ſculpique ſoleat, *de Iſ. et Oſir.* p. 376. *Felis*, inquit, *Lunam repraeſentat, ob animalis iſtius varietatem, ac vim noctu agendi, et foecunditatem. Dicitur enim vnum principio catulum parere, deinceps duos, tres, quatuor, vnoque ſub-*

* apud PHOTIVM Cod. CXLII. p. 1047.

inde plures, donec ſeptem vno partu edat. Itaque XXVIII *parit, qui eſt numerus dierum Lunae. Verum hoc fortaſſis fabulae ſit ſimilius. Sed* * *felis oculorum pupillae impleri dilatarique videntur, ſub pleniluniũm, et Lunae lumine decreſcente, attenuari atque langueſcere.* Crediderunt itaque veteres, idque haud dubie ex diſciplina Aegyptiorum acceperunt, ſingularem prorſus eſſe felis cum Luna conſenſum, et quaſi συμπάθειαν, cumque illi animal hoc, *Bubaſti* ſuae conſecratum voluerint, eiuſque imaginem inprimis ſanctam habuerint, quis dubitet, quin aliquam Lunae virtutem ac poteſtatem, in Dea illa reueriti fuerint, populoque colendam propoſuerint? Neque parum hoc ex ipſo *Bubaſteos* nomine illuſtrare poſſumus. Verum ea de re poſtea videbimus.

Bubaſtis eadem erat cum Aegyptiorum Εἰλειθυία, ſiue Lucina, pluribus in locis culta.

§. 7. Omittere hic nequeo, veteres ſubinde mentionem iniicere Deae cuiuſdam Aegyptiorum, quam Graeci Εἰλειθύαν vocant, et a qua vrbs Εἰλειθύας Aegypti ſuperioris, nomen accepit. DIODORVS *Siculus* Deam hanc antiquioribus Numinibus Aegypti accenſet, p. 12. *Aegyptii*, inquit, *Nilum ſuum pro Oceano habent, ad quem etiam Dii ſint orti: et ex omnibus totius Orbis Prouinciis, aiunt in ſola Aegypto, multas eſſe vrbes, ab ANTIQVIS DIIS, vt Ioue, Sole, Herme, Apolline, Pane, EILITHYIA, aliisque pluribus conditas.* Vrbs illa *Ilithyiae*, de qua auctor laudatus loquitur, ſita erat, vt dixi, in Aegypto ſuperiori, vbi eam in Praefectura Thebaea locat PTOLEMAEVS p. 122. Similiter STRABO Lib. XVII. p. 562: *Poſt Latopolin ſequitur vrbs Ilithyiae*, (ſiue Lucinae) *et Templum.*

* GELLIVS Noct. Attic. Lib. XX. cap. 8. et PROCLVS in Heſiodi Opera et dies Pag. CCII. Edit. Venetae Trincauelli.

plum. Sacra in Templo huius vrbis Ilithyiae fieri ſolita, erant deteſtanda, nam cruore humano altaria polluebantur. Ex MANETHONE refert id PLVTARCHVS de Iſ. p. 380: Καὶ γὰρ * ἐν Ἐιληθύιας πόλει ζῶντας ἀνθρώπους κατεπίμπρασαν, ὡς Μανέθων ἱστόρηκε, Τυφωνίους καλοῦντες, καὶ τὴν τέφραν αὐτῶν λικμῶντες ἠφάνιζον καὶ διέσπειρον. *In vrbe Ilithyiae viuos combuſſerunt homines, vt Manetho ſcribit, Typhonios appellantes, et cinerem eorum ventilando diſſiparunt, atque aboleuerunt.* Quinam vero ſint *homines* illi *Typhonii*, qui viui comburebantur, id docebit nos in his DIODORVS: ** Τῶν ἀνθρώπων τὰς ἐμοχρωμάτους τῷ Τυφῶνι, τὸ παλαιὸν ὑπὸ τῶν βασιλέων φασὶ θύεσθαι πρὸς τῷ τάφῳ τοῦ Ὀσίριδος. *Homines quoque aiunt eiuſdem, quem Typhon habuit, coloris, antiquitus ad Oſiridis tumulum a regibus mactatos eſſe.* Nempe *** *Typhon colore erat rufus, ideoque eorum conſuetudinem vitabant Aegyptii, qui tales etiam eſſent adſpectu.* Neſcio tamen, num PLVTARCHVS paulo ante adductus, mentem MANETHONIS aut peruiderit, aut accurate expreſſerit. Nam PORPHYRIVS, Scriptor ſane diligens magnique pretii, rem eandem ex MANETHONE, ſed paulo aliter, hunc nempe in modum, refert: † Κατέλυσε δὲ καὶ ἐν Ἡλίῳ πόλει τῆς Αἰγύπτου, τὸν τῆς ἀνθρωποκτονίας νόμον Ἄμωσις, †† ὡς μαρτυρεῖ Μανεθώς. —— Ἐθύοντο δὲ τῇ Ἥρᾳ καὶ ἐδοκιμάζοντο, καθάπερ οἱ ζητούμενοι καθαροὶ μόχοι καὶ συσφραγιζόμενοι· ἐθύοντο δὲ

* Ita hic et recte omnino legit MARSHAMVS in *Canone Chronico* p. 316.

** Lib. I. p. 79.

*** PLVTARCHVS de Iſide p. 362. 364.

† *de Abſtinentia* Lib. II. p. 223. Edit. Lugdun. et apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. IV. cap. XVI.

†† Sic ex EVSEBIO repoſui.

τῆς ἡμέρας τρεῖς, ἀνθ' ὧν κηρίνας ἐκέλευσεν ὁ Ἄμω-σις τὰς ἴσας ἐπιτίθεσθαι. *Amosis Heliopoli in Aegypto, ritum legemque mactandi homines sustulit, sicut testatur Manetho. —— Sacrificabantur autem Iunoni, iique ante non aliter explorabantur,* * *atque id in vitulis fieri solet, sollicite conquisitis, ac deinde obsignatis. Tres autem quouis die mactabantur, in quorum locum Amosis totidem imagines cereas hominum, illis magnitudine aequales substitui iussit.* Videmus et hic MANETHONEM citari, vti a PLVTARCHO. Sed hic tamen ex illo auctore refert, Sacra ista impania fieri consueuisse in *vrbe Ilithyiae*. At PORPHYRIVS, ex eodem Scriptore, aliam vrbem, *Heliopolin*, nominat, in qua crudele illud spectaculum editum fuerit. Dici tamen posse reor, MANETHONEM non vno in loco, de barbara priscorum Aegyptiorum ἀνθρωποθυσίᾳ egisse. Forte, quod etiam ** MARSHAMO placet, olim et in *vrbe Ilithyiae*, et *Heliopoli* pariter, homines immolare moris fuit, et vtrumque hoc Sacerdos Aegyptius, sed, vt videtur, locis diuersis memoriae mandauerat. Praeterea vero aliam Deam PLVTARCHVS, aliam PORPHYRIVS EX MANETHONIS testimonio, nominat, in cuius honorem Sacra illa execranda fuerint instituta. PLVTARCHVS, dum testatur Sacra haec minime sacra, in *vrbe Ilithyiae* celebrari consueuisse, satis innuit, Deam fuisse *Ilithyiam*, cui carne humana litabatur. PORPHYRIVS vero credere nos iubet, victimas humanas *Iunoni*, tempore illo antiquissimo offerri solitas fuisse. Suspicor, MANETHONEM re ipsa locutum esse de *Ilithyia*, cui scimus in Aegypto Templa erecta dedicataque fuisse, et quae Heliopoli etiam verosimiliter altaria cul-

* Vide PLVTARCHVM de Iside p. 363.
** in *Canone Chronico* p. 317.

cultumque habuit. Apud Graecos vero Εἰλήθυια, ſicut apud Romanos *Lucina*, dicebatur non modo *Diana*; verum et *Iuno*. De *Diana* iam vidimus §. 4. De *Iunone* res eſt non minus certa, neque ignota. Refert itaque DIONYSIVS *Halicarnaſſeus*, Antiqu. Rom. Lib. IV. p. 220, Seruium Tullium ſtatuiſſe, quantum aeris quiuis pro liberis recens natis inferre deberet εἰς τὸν τῆς Εἰλειθυίας θησαυρὸν, ἣν Ρωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν Φωτφόρον, *in aerarium Ilithyiae, quam Romani Iunonem Lucinam vocant.* Et tritae ſunt illa *Glycerii* * apud TERENTIVM voces:

Iuno Lucina fer opem; ſerua me obſecro.

Eſt igitur Εἰλήθυια nomen tum *Iunonis*, tum *Dianae*, atque vtrouis modo reddi poteſt. PORPHYRIVS ergo iure ſuo vtens, *Iunonem* interpretatus eſt Εἰλήθυιαν. Sequitur ex eo, *Ilithyiam* Templum habuiſſe aut Sacellum, Heliopoli antiquiſſimum, in quo more impio Deae illi olim mactarentur homines. Rei huius, niſi me fallit opinio, veſtigium non ita obſcurum deprehendimus in HORAPOLLINE, Hieroglyph. Lib. I. c. X. *Aiunt*, ita is, *felem marem, iuxta varium Solis habitum et curſum pupillas commutare, ad ortum quidem Solis mane nonnihil extendi, ſub meridiem velut rotundas fieri, Sole ad occaſum vergente, obtuſiores, obſcurioreſque apparere. Vnde et quae apud Heliopolin eſt Dei Solis Statua, ſpeciem felis prae ſe fert.* Monere autem hic me oportet, haec vere ſingularia eſſe, omnibuſque aliis penitus indicta. Nam 1) felis naturam omnes, non cum Solis; ſed Lunae natura comparant, et ipſas has in pupillis mutationes, ad Lunae incrementa aut decrementa referunt. §. 6. 2) Felis apud Aegyptios,

* in *Andria* Act. III. Scena I.

ptios, non Solis, verum Lunae, ſiue Bubaſteos habebatur imago et Symbolum, quod Scriptores permulti, aut conceptis verbis docent, aut ſatis innuunt, §. 3. 3) Animal Soli dedicatum Heliopoli, quod eius dicere poſſis imaginem atque Symbolum, erat non felis: verum * leo. 4) Scimus autem porro ex teſtimonio MANETHONIS, et PORPHYRII, *Iunonem* vel Εἰλήθυιαν Templum aut Sacellum habuiſſe Heliopoli, hanc vero Εἰλήθυιαν Aegyptiam, non aliam eſſe, quam *Bubaſtin*, docebimus §. 9. Et huic denique ſacram et propriam fuiſſe *felem*, ex bonis Scriptoribus euicimus §. 3. Qui haec attente perpendet, mihi non ita difficulter largietur, HORAPOLLINEM, aut graecum eius interpretem, PHILIPPVM, errore aliquo μνημονικῷ ſeductum, *Soli* maxime ſane Heliopoli culto, id tribuiſſe, quod adſcribendum erat *Ilithyiae*, ſiue *Bubaſti*, quam in eadem vrbe ritibus ſolennibus olim quoque placatam fuiſſe, aut ignorabat, aut obliuioni tradiderat.

De Sacris Lucinae huius in Aegypto, antiquiſſimis et cruentis, quaedam obſeruantur.

§. 8. Quid vero iudicandum eſſe putabimus de abominandis victimis humanis, Ilithyiae, id eſt, vt interpretor, *Bubaſti*, in Aegypto offerri ſolitis? Quando hic manifeſtus veteres inter diſſenſus appareret, aliis rem hanc affirmantibus, aliis negantibus, operae pretium fuerit diſquirere, quibusnam potius fidem adhibere debeamus. HERODOTVS, cuius in rebus huiuſcemodi non exigua eſt apud me auctoritas, negat, conſuetudinem talem in Aegypto vnquam fuiſſe vſu receptam. Negat, quod Graeci quidam aſſeuerabant, Herculem, dum in Aegypto peregrinaretur, in vincula datum, ac ſacrificio ſolenni reſeruatum fuiſſe, addita hac ratione: ** *Quum haec dicunt Graeci, videntur mihi ſe et naturae Aegyptiorum,*

* AELIANVS de Anim. Lib. XII. c. 7.
** HERODOTVS Lib. II. c. 45.

ptiorum, et morum apud ipsos receptorum prorsus ignaros ostendere. Quibus enim nullam pecudem fas est immolare, praeter sues, bouesque mares, ac vitulos, si modo puri mundique sint, et anseres denique, qua ratione ii immolarent homines? Idem testatur quoque MACROBIVS Saturnal. Lib. I. c. VII. cuius tamen verba cum aliqua cautione accipienda sunt. Ita autem illa se habent: *Quia nunquam fas fuit Aegyptiis, pecudibus aut sanguine, sed precibus et ture solo placare Deos, his autem duobus aduenis* (Serapidi et Saturno) *hostiae erant ex more mactandae: fana eorum extra Pomoerium locauerunt, vt et illi sacrificii solennis sibi cruore colerentur, nec tamen vrbana Templa morte pecudum polluerentur.* In eo, nimium festinando, aberrauit auctor alias laudatissimus, et quantiuis pretii, quod ex Saturno et Serapide, duos aduenas confinxerit, cum hic quidem, *Saturnus* et *Serapis* vnum tantum Numen designent. Deinde animaduersione dignum quoque est, quod Aegyptiis omnem funditus sacrificiorum cruentorum vsum denegauerit, cum tamen satis notum eruditis sit, animalia quaedam, secundum Aegyptiorum leges sacras, Diis legitime immolari solita, excipienda omnino fuisse. Id tum ex HERODOTO, cuius verba attulimus, et in vniuersum ex tota Aegyptiorum historia, certum plane et testatum est. Illud vero Scriptor hic optimus, non obscure innuit, a victimis humanis Aegyptios semper abhorruisse. Quid vero tum de MANETHONE, et, qui sua forte ex MANETHONE hausit, DIODORO fiet, quorum in contrarium testimonia protulimus §. 7? Sane omne hoc quicquid est, videtur ad vnius MANETHONIS testimonium auctoritatemque redire. Mihi vero compertum est, huiusce viri testimonium, fidei saepenumero esse vehementer subleste. Idemque de illo eius testimonio, quod nunc excu-

timus, dici etiam posse, non immerito suspiceris. Multa sane eam in rem adferri hic possent. Sed vbi tamen omnia seria aestimatione expendo, hic quidem MANETHONIS fidem a suspicione siniſtra liberare malim. Nimirum, quod scite * MARSHAMVS obseruauit, *Sacri horrendi vestigium apud Aegyptios in victimarum sigillo mansisse videtur.* ** *Sacerdotes enim, οἱ σφραγισταὶ dicti, bouem qui immolandus esset, sigillo impresso notabant. In sculptura autem sigilli, vt retulit Castor, exprimebatur homo in genua desidens, manibus post tergum deductis, ense iugulo imminente.* Et sane Amosis, qui execranda sacrificia humana sustulit, aliquam tamen imaginem et memoriam barbari ritus supereſſe voluit. §. 7. Praeter illud rei huius vestigium, quod MARSHAMVS nos notare iussit, aliud insuper videor mihi inuenisse, in placentis illis, quibus in certis quibusdam sacrificiis vti consueuerant Aegyptii. De illis ita PLVTARCHVS de Isíde p. 362. *In sacrificiis, quae mensibus Payni et Phaophi peragunt, placentas coquunt, quae pro insigni asinum vinctum impressum habent.* Insigne igitur, placentis his impressum, *asinus* erat *vinctus*, id est *Typhon*, quem Aegyptii Symbolo asini adumbrare et repraesentare solebant, qua de re loco suo plura dicemus. Et vero illi, quos olim in Aegypto vivos comburebant, dicebantur *Typhonii*, huic nempe Genio malefico similes, quos Symbolo *asini vincti*, vtpote miseras mortique destinatas victimas, designatos fuisse, mihi plus quam probabile videtur. Non mediocre, id quod dixi, ex eo robur accipit, quod ex testimonio SELEVCI *Theologi* constet, placentas has, in Aegypto, victimis humanis, inque earum locum suc-

* in *Canone Chronico* ad Sec. XI. p. 317.
** PLVTARCHVS de Isíde p. 363.

ſucceſſiſſe. Docet hoc ATHENAEVS Lib. IV. p. 172. Πεμμάτων δὲ πρῶτον φησὶ μνημονεῦσαι Πανύασιν Σέλευκος, ἐν οἷς περὶ τῆς παρ' Αἰγυπτίοις ἀνθρωποθυσίας διηγεῖται, πολλὰ μὲν ἐπιθεῖναι λέγων Πέμματα. Si quis verba haec cum iis PORPHYRII conferat, in quibus MANETHONEM citat, et quae attulimus §. 7, videbit illico, in illis ATHENAEI aliquid deeſſe. Res eſt euidens. Exiſtimem autem, hoc fere modo ſcripſiſſe noſtrum: Πολλὰ μὲν ἀντὶ ἀνθρώπων, πάλαι θυθέντων, ἐπιθεῖναι λέγων πέμματα. Locum ſic iam verto: * *Seleucus ait, Panyaſin primum placentarum mentionem feciſſe, vbi de victimis humanis, in Aegypto offerri olim ſolitis, narrat, dicens loco hominum immolatorum, poſtea placentas multas oblatas fuiſſe.* Verum cur tandem HERODOTVS, qui, quae hac de re literis prodidit, a Sacerdotibus in Aegypto accepiſſe videtur, cur, inquam, Herodotus pernegat, in Aegypto, ſacrificia humana vnquam, temporibus etiam antiquioribus, admiſſa fuiſſe? Huius vero rei iſthanc fuiſſe cenſeo cauſam. Immanem illum homines mactandi morem, credo in Aegypto quidem, et ab antiquo iam obtinuiſſe, verum ab ipſis tamen Aegyptiis non inſtitutum. Auctores inſtituti deteſtandi mihi fuiſſe videntur ** *Arabes* illi *Paſtores*, quorum in antiquiſſima Aegyptiorum hiſtoria fit mentio, qui diu ante tempus peregrinationis Iſraëlitarum in Aegypto, totam hanc regionem ſubiugarunt, et per plura Secula tenuerunt. Illi enim cum multa alia in religione Aegyptiorum innouaſſe, tum etiam humanas victimas in Templa Deorum

* Seleuci huius, de eodem argumento loquens, meminit PORPHYRIVS *de Abſtin.* Lib. II. p. 223.

** Vide MARSHAMI *Canonem Chronicum*, ad Sec. VIII. p. 103. 104.

rum inuexiſſe videntur. Nam Arabes olim Sacrificia huiuſmodi inhumana lege ſanciuiſſe, et vſum illorum diu, etiam poſt Chriſtum natum, retinuiſſe, teſtimoniis, quae exceptionem non patiuntur, euinci facile poteſt. Ad Arabes opinor ſpectare, quae Hebraeorum Magiſtri, de modo conſecrandorum *Theraphim* referre ſolent. * *Mactabant*, inquiunt, *hominem primogenitum, cuius caput manu praeſcindebant, abſciſſum ſale et aromatibus condiebant, ſcribebantque inſuper diuinationes in lamina aurea, quas ponebant ſub lingua eius, et erigebant illud ad parietem; Tum loquebatur cum illis.* Sunt viri eruditionis laude florentes, qui haec a Iudaeis conficta eſſe augurantur, neque etiam ego perſuaderi mihi ſinam, huius generis fuiſſe decantata illa *Theraphim* Labanis. Verum Iudaei tamen haec depromſerunt ex Arabum antiquis conſuetudinibus. Similia certe de his tradit Scriptor plerumque accuratus et diligens, PORPHYRIVS, de Abſtin. Lib. II. p. 225: ** Καὶ Δουμάτιοι τῆς Ἀραβίας κατ' ἔτος ἕκαστον ἔθυον παῖδα: ὃν ὑπὸ βωμὸν ἔθαπτον, ᾧ χρῶνται ὡς ξοάνῳ. *Dumateni Arabes, quouis anno mactabant puerum, eumque infra altare ſepeliebant, et poſtea eodem, tanquam ſimulachro diuino vtebantur.* Aetate vero Mauritii Imperatoris, Seculo VI. ad finem vergente, morem iſtum etiamnum viguiſſe, vt *Saracenorum Sacerdotes pulchros adoleſcentes mactarent*, teſtem habemus Scriptorem illius aeui, IOHANNEM MOSCHVM *** in *Prato Spirituali* cap. 155. Haec omnia

* Apud SELDENVM de Diis Syris Synt. I. cap. II. p. 98. BVXTORFFIVM in Lexico Talmudico col. 2661. et HOTTINGERVM notis ad Godwinum p. 737.

** Adfert etiam iſta ex PORPHYRIO, EVSEBIVS Praepar. Lib. IV. c. XVI. fin.

*** in *Bibliotheca Magna Patrum* Pariſina To. XIII. p. 1124.

omnia non mediocriter inter se conspirant, seque mutuo et illustrant, et confirmant. Traditur porro mos ille, non modo in vrbe Ilithyiae viguisse, quam ab Arabibus Aegyptiis habitatam fuisse auguror, verum et *Heliopoli*, quae, vt diserte scribit PLINIVS Lib. VI. c. 29. *Arabas conditores habuit*, nempe Pastores illos, de quibus diximus, qui in vrbem recens conditam, ritum hunc genti suae familiarem, introducendum quoque censuerunt. Accedit ad haec, quod *Amosis* Aegypti rex, atrocem illam consuetudinem aboleuerit, id enim ex MANETHONE intelleximus §. 7. Hic vero est ipse ille rex, * qui Heliopolin a Pastoribus Arabibus recuperauit, eosque ad Aegypti extrema, versus Arabiam et Phoeniciam se recipere coëgit. Mirum igitur non est, quod pulsis Heliopoli Arabibus, Vrbem a Sacris vsque adeo barbaris purgauerit. Ita omnia sponte concurrunt, ad ea, quae nunc adstruxi, corroboranda.

Lucina, siue Bubastis Aegyptiorum, praerat mulieribus parturientibus, et natiuitati infantum.

§. 9. Redeamus nunc tandem ad ipsam Aegyptiorum *Ilithyiam*, siue *Lucinam*, a qua nonnihil eramus digressi. Videamus nunc, qualenam illud *Ilithyiae* Aegyptiacae Numen fuerit. Id enim non modo, quae de *Bubasti* supra obseruauimus, confirmabit; verum et vsui nobis esse poterit, ad indagandum, qua ratione ab *Iside* distulerit *Bubastis*, et quamnam in hac, Lunae ad nostram terram relationem Aegyptii celebrare voluerint. *Ilithyiam* vero eandem esse cum *Bubasti*, dubitare nulla ratione licet. Graeci *Bubastin* Aegyptiacam, modo Ἄρτεμιν, id est *Dianam*, modo vero etiam *Ilithyiam*, interpretati sunt. Nam haec duo idem significant. Sane *Ilithyiam* Graeci dixerunt *Dianam*, §. 4. Et iidem *Bubastin* Aegyptiorum, *Dianam* pariter nuncupant,

* MARSHAMVS *Canone Chronico* p. 315.

cupant, atque interpretantur. §. 3. Igitur et *Ilithyia*, et *Bubaſtis*, illud eſt Aegyptiorum Numen, quod *Dianam* Graeci reddunt. *Dianam* vero ſuam illi tum potiſſimum Ἐιλήθυιαν appellant, quando illam conſiderant, vt mulierum parturientium adiutricem et Protectricem §. 4. Atque hoc poſtremum Aegyptii etiam *Bubaſti* ſuae attribuebant. §. 4. 5. Manifeſtum hinc quoque eſt, *Ilithyiam* Aegyptiorum eſſe *Lunam.* Nam *Diana*, quae eadem eſt cum *Ilithyia*, Graecis Symbolum erat *Lunae*, quemadmodum *Bubaſtis* itidem Aegyptiis. §. 4. Omnium maxime vero *Diana*, tum, cum eadem reputabatur cum *Ilithyia*, a Graecis referebatur ad *Lunam.* Optime ita * VVLCANIVS. *Per* Ἐιλήθυιαν *Poëtae veteres adumbrarunt Dianam, hoc eſt Lunam. —— Cauſam vero hanc crediderim, quod Lunae ſidus, vt ait* PLINIVS, Lib. II. cap. 101. *foemineum ac mollem ſoluit humorem et trahit, et* ** *cuncta humifico ſuo Spiritu laxat, ideoque partum ſaepenumero celeriorem facilioremque reddit.* Haec ille ex mente veterum Philoſophorum. Idem profecto etiam tenendum de Aegyptiorum *Ilithyia*, ſiue *Bubaſti.*

Bubaſtis ex ſententia Sacerdotum Aegyptiorum, Symbolum erat Lunae nouae.

§. 10. Ex eo iam facilius perſpicere poterimus, quamnam Lunae ad terram noſtram relationem, quamue poteſtatem in *Bubaſti*, ſpectauerint et coluerint Aegyptiorum filii. *Iſis* et *Bubaſtis* certo quodam ſenſu, nonniſi vnicum Numen conſtituunt, *Lunae* videlicet. §. 5. Sed differunt tamen etiam inter ſe, quandoquidem in Theologia Aegyptiorum mythica et ſymbolica, *Bubaſtis* filia perhibebatur *Iſidis.* Nempe *Iſis* Lunam in vniuerſum, omnem-

* in Notis ad Callimachi Hymnum in Iouem v. 12.

** Vide plura eum in ſenſum apud MACROBIVM Saturn. Lib. VII. cap. 16.

omnemque eius vim ac poteſtatem deſignabat. *Bubaſtis* vero, vt auguror, Symbolum erat *Lunae nouae*, recens quaſi natae, et porro creſcentis vſque ad Plenilunium. Vno verbo, *Bubaſtin* eandem Aegyptiis fuiſſe mihi perſuadeo, quam HORATIVS dixit, *Carminum* Lib. IV. Oda VI.

Rite creſcentem face noctilucam
Proſperam frugum, celeremque pronos
Volvere menſes.

Nam phaſes Lunae nouae, vel naſcentis et creſcentis, parturientibus, et frugibus quoque magnopere prodeſſe exiſtimabantur, adeoque, ex ſententia Aegyptiorum, Numini *Ilithyiae*, ſiue *Bubaſtis*, inprimis conueniunt. Hinc eſt, quod HORATIVS, in verbis modo adductis, *Lunam creſcentem* dicat *proſperam frugum*. Id quidem a multis non adeo tribuitur *Lunae nouae*, cuius Symbolum fuiſſe *Bubaſtin*, hic aſſero, quam potius *Plenilunio*. Ita PLVTARCHVS in *Sympoſiacis* Lib. III. p. 658. fin. Λέγεται δὲ καὶ πρὸς εὐτοκίαν συνεργεῖν ἡ Σελήνη, ὅταν, ἢ διχόμηνος, ἀνέσει τῶν ὑγρῶν μαλθακωτέρας παρέχουσα τὰς ὠδῖνας· ὅθεν οἶμαι καὶ τὴν Ἄρτεμιν Λοχείαν καὶ Εἰλήθυιαν, ἂν ὅταν ἑτέραν ἢ τὴν Σελήνην, ὀνομάζομεν. Τιμόθεος δὲ ἄντικρυς φησι,

* Διὰ κυανέων πόλου Ἄστρων
Διὰ τ' ὠκυτόκοιο σελάνας.

Dicitur etiam ad expediendum partum Luna conducere, cum eſt plena, quod laxando humores, dolores mitiget. Hinc etiam arbitror, Dianam, Λοχείαν, id eſt partui praefectam, ac Lucinam, quae a Luna diuerſa

* Ita verſus hos legit HADRIANVS IVNIVS, Animaduerſ. Lib. IV. c. 23. Adde MACROBII Saturn. L. VII. cap. XVI.

diuerſa non eſt, cognominatam fuiſſe. Et diſerte Timotheus ait

Per coerulea coeli Sidera,
Celeremque partu ſoluere Lunam.

Et ſic idem in *Quaeſtionibus Romanis* p. 282. in haec verba ſcribit: Καὶ Λευκίναν Ἥραν καλοῦσιν, οἷον φαεινὴν, ἢ φωτίζουσαν. Καὶ νομίζουσιν ἐν ταῖς λοχείαις καὶ ὠδῖσι βοηθεῖν, ὥσπερ καὶ τὴν σελήνην —— Εὐτοκεῖν γὰρ ἐν ταῖς πανσελήνοις μάλιστα δοκοῦσι. *Iunonem vocant etiam Lucinam, quaſi lucidam diceres, putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus, ſicut et Lunam —— Facillime enim videntur mulieres ſub plenilunium prolem eniti.* Conſentit his PROCLVS, verum is veterum ſuper hac re ſententiam nonnihil diſtinctius explicat. Nam vbi dixerat, oculos felis decreſcente Luna attenuari, creſcente vero dilatari, iſta ſubiungit: * Καὶ ἀπλῶς, τὰ μὲν πληρουμένης σελήνης εὐθενεῖται· τὰ δὲ ληγούσης αὐτῆς . . ** . . . . τοῖς μὲν ὠφελίμως τῆς ὑγρότητος οὔσης, ἣν διαχεῖ τὸ σεληνιακὸν φῶς αὐξόμενον· τοῖς δὲ βλαβερᾶς. *Creſcente Luna omnia vigent, beneque ſe habent: Decreſcente vero eadem, minuuntur ac detrimentum capiunt: illis enim humor, quem lumen Lunae ex ſe emittit atque diffundit, ſalutaris, his vero nocuus eſt.* Hic igitur *Luna noua*, ſiue *creſcens* minime excludenda. Quin imo ad hanc potiſſimum felicem in partu ſucceſſum, multi referre ſolebant. Λοχία τε ἡ Ἄρτεμις, inquit *** PORPHYRIVS, ὅτι ἡ τῆς Νουμηνίας δύναμις προσθετικὴ εἰς τὸ τίκτειν. *Partui Diana praeeſt, indeque* Λοχία *dicitur, quod Nouilunio vis quae-*

* in Heſiodi Opera et dies, Pag. CII. a. Edit. Venetae.
** Hic aliquid deeſt, forte βλάπτεται, aut φθίνει, aut ſimile quid.
*** Apud EVSEBIVM Praeparat. Euang. Lib. III. cap. XI.

quaedam inſit, quae pariendi facilitatem adferat. Idque praecepta Scriptorum Rei Ruſticae prorſus confirmant. Totum igitur illud tempus olim. vti et nunc a multis, credebatur corporibus ſublunaribus inprimis proſperum et ſalutare, quo Luna, poſtquam noua apparuerat; creſcendo augebatur, donec plenilunium, ceu proſperi huius Status terminum attigiſſet. Atque eam ob cauſam, HORATIVS *Lunam creſcentem* praedicat *proſperam frugum.* Totius autem huius temporis, inprimis vero *Lunae nouae*, quae eſt eius initium, Symbolum Aegyptiis fuiſſe *Bubaſtin*, auguror. Spectat huc, quod legimus, in *vrbe Ilithyiae*, quae *Bubaſti* conſecrata erat, imagine aliqua ſymbolica, religioſe * *cultum fuiſſe tertium Lunae lumen*, lumen nempe, vt interpretor, quod Luna, tertio die a coniunctione cum Sole, terrae oſtendit. Tum enim ſplendor eius conſpicuus eſt omnibus, et ab omnibus obſeruatur, ipſaque creſcendo aliquem iam progreſſum fecit. Eandem ob rationem, quod ſupra iam monui, §. 5. *Bubaſtis* dicta videtur Aegyptiis filia Oſiridis et Iſidis, quia nimirum poſt coniunctionem Lunae cum Sole, tanquam eorum ſoboles, illico apparet, quaſi recens nata. Ipſum denique *Bubaſtis* nomen, nil niſi hoc Aegyptiorum filiis ſignificaſſe videtur. De hoc nunc diſpiciemus.

§. 11. Sunt ex antiquis nonnulli, qui nominis *Bubaſtis* rationem explicare nobis conantur. Erant, ** qui crederent, *Bubaſtin*, antiqua Aegyptiorum lingua ſonuiſſe *felem:* nulla profecto alia de cauſa, quam quod *felem*, ſymbolum eſſe *Eubaſteos* ſacroſanctum, ſcirent, oculiſque viderent. Eodem modo

Nomen Bubaſtis Aegyptiacum explicatur.

* EVSEBIVS Praepar. Euangel. Lib. III. cap. XII. ex PORPHYRIO.

** STEPHANVS *Byzantinus* in voce Βούβαστος.

modo quidam perſuadere nobis vellent, *Mendetem* Aegyptiis *hircum* ſignificare, *Anubim* vero *canem*, et quae ſunt his ſimilia, de quibus * antehac ſententiam meam expoſui. Alii ** a *Bubaſto* vrbe, quae *** in Scriptura פי בסת, *Pi-beſet* audit, nomen accepiſſe tradunt, cum certum potius ſit, *Bubaſtum* vrbem, a *Bubaſti* Numine, cui aedificata fuit, §. 5, nomen traxiſſe. Eſt etiam multis modis teſtatum, pleriſque in Aegypto vrbibus, inter quas etiam fuit vrbs *Ilithyiae*, a regionis illius Numinibus, impoſita fuiſſe nomina. §. 7. Eſt et alia nominis huius interpretatio, quam HIERONYMVS nobis ſuppeditat, in qua non ſine cauſa ceſpitant eruditi; ſed quae mihi tamen, ad indagandam veram, vt ſpero, et nominis et Numinis ſignificationem, faciem praetulit. Ita autem ille: † *Bubaſtus iuxta linguam Aegyptiacam, interpretatur oris experimentum.* Poſſet quis ſuſpicari, doctum hunc Scripturae interpretem, in animo habuiſſe linguam Hebraeorum, qua פי *os* ſonat, totumque nomen פי בסת, ex lingua eadem a quibuſdam explicari ſolet *os conculcatum*, vel *inquinatum.* Verum HIERONYMVS linguae hebraicae ignarus non erat, et ab illa didicerat diſcernere linguam Aegyptiorum, ex qua paſſim voces huius gentis, in Scriptura occurrentes, interpretari ſolet. Solenne enim ipſi erat, ſuper huiuſmodi vocibus conſulere linguae Aegyptiacae peritos. Itaque et illam *Bubaſti* interpretationem, videtur ab aliquo eiuſdem linguae bene gnaro, et petiiſſe et accepiſſe. Verum quid quaeſo eſt *oris experimentum? Os* hic, vt arbitror, *faciem*, *vultum*que totum deſignat. *Oris* vero *experimentum*, pro aliqua

* Lib. II. cap. VII. §. 2.

** Anonymus auctor Θεολογμένων τῆς Ἀριθμητικῆς, p. 33.

*** Vide GELLARII Geograph. antiqu. Africae p. 57.

† Lib. IX. in Ezech. Opp. To. III. col. 916.

aliqua vultus mutatione accipio. Eſt nempe Ⲡ-ϩⲟ-ⲃⲁϣⲧ, *P-ho-baſt*, Aegyptiace *vultum nudans*, vel *retegens*, quod dici poteſt de Luna, quando faciem, in coniunctione cum Sole, abſconditam, aut velatam, id eſt contemplationi hominum ſubductam, iam rurſus retegit, oculiſque noſtris conſpiciendam praebet. Nomine itaque hoc, ſatis clare deſignaretur *Luna noua*, cum a Sole modo receſſit, aut ex radiis eius emerſit. Aut poſſis nomen hoc etiam interpretari Ⲡ-ϩⲟ-ⲩⲁⲃⲁϣⲧ, *P-ho-u-aſt*, vbi tantum monendum, quod ſane perquam vulgare ac tritum eſt, *b*, et *u*, et *v* ſaepenumero inter ſe permutari. Id vero ſignificaret *multiplicantem faciem*, vel, *qui formam faciei ſaepe mutat*. Nemo non intelligit, referri hanc denominationem ad id, quod in Luna omnes obſeruant, quodque de illa ignotum eſſe nemini poteſt. Refertur nempe ad continuas illius viciſſitudines. * *Nam Luna ſemper in motu eſt, et* TER DENAS *FACIES ACCIPIT in reſtitutione menſtrua.* En! vero Ⲡ-ϩⲟ-ⲩⲁⲃⲁϣⲧ, *P-ho-u-aſt*, vel *P-ho-baſt*, et adiecta terminatione graeca *Bubaſtin*, id eſt, *varia multiplicique facie conſpicuam*. Poſſet eadem vox Aegyptiaca, ſatis commode etiam reddi *facie creſcens*, quod ad ea quae ſupra diſputauimus, omnium eſſet maxime accommodatum. Sic enim nomen Aegyptiacum *Bubaſtis*, id plane ſignificaret, quod HORATIVM de *Luna noua* audiuimus canentem

Rite creſcentem face noctilucam
Proſperam frugum, celeremque pronos
Voluere menſes.

* ARNOBIVS Lib. VI. p. 196.

CAPVT IV.

De Buto, vel Butone, Aegyptiorum Numine antiquiſſimo, quod Graeci Latonam interpretantur.

Summa dicendorum hoc capite. §. 1. Butus, ſiue Buto, antiquum fuit Aegyptiorum Numen, quod Graeci interpretantur Latonam. §. 2. Latonae huic Sacra inſtituta erant ſolennia valdeque celebrata in vrbe Buto, inferioris Aegypti. §. 3. De Butone hac vel Latona, traditiones Aegyptiorum. §. 4. Traditiones hae Aegyptiorum de Butone cum Doctrina Theologiae Phyſicae Graecorum conferuntur. §. 5. Latona in Theologia Graecorum Phyſica eſt Nox, et, vt recentiores quidam, Chaos primogenium. §. 6. Tentatur aliqua Theologiae Aegyptiorum, cum Theologia Graecorum in hoc argumento conuenientia. §. 7. In Theologia tamen Aegyptiorum Buto, ſine Latona, re ipſa referebatur ad Iſidem, vel Lunam, eratque huius aliquod Symbolum. §. 8. Id ex eo confirmatur, quod Latona illa perhibita fuerit Buti Horum et Bubaſtin nutrire. §. 9. Et quidem in paludibus Buticis, nam aqua paluſtri et fontana, credebatur Luna nutriri, et tum quaſi refecta, res etiam alias vinificare et roborare. §. 10. Obſeruandum hic quoque eſt, quod Veteres Lunam crediderint matrem eſſe roris. §. 11. Atque id videntur etiam in Latona Butica ſignificare et venerari voluiſſe Aegyptii. §. 12. Ex iis quae obſeruata fuerunt, tandem pateſcit, Latonam Buticam Symbolum fuiſſe Lunae plenae, vel Plenilunii. §. 13. Denique interpretatio nominis Aegyptiaci Butus vel Buto, lectori offertur.

§. 1.

Summa dicendorum hoc capite.

Bubaſtin vetuſtis Aegyptiorum Sacerdotibus Symbolum fuiſſe *Lunae*, et *nouae* quidem, ac etiamnum creſcentis, capite ſuperiori euincere conati ſumus. Generis fere eiuſdem exiſtimo fuiſſe *Butum*,

Butum, vel *Butonem*, id est, vt Graeci interpretantur, *Latonam* Aegyptiorum. Multum quidem et Diuinitatis istius Aegyptiacae interpretatio atque explicatio, negotii mihi facessiuit; sed post adhibitam tamen omnem, quam impendere potui, diligentiam, post expensa accurate omnia rei momenta, post exploratas sollicite veterum traditiones, quae vllo modo ad hoc nostrum negotium spectant, post subductas rationes omnes, ita tandem statuere coactus sum, etiam *Butum*, siue *Latonam*, Aegyptiis Symbolum fuisse *Lunae;* verum aetatis quoddam quasi robur iam consecutae, et quodammodo senescentis, ac vim potestatemque suam praecipuam, circa *Plenilunium* exserentis. Vti ergo *Bubastis* Symbolum aliquod erat *Nouilunii*, ita *Butonem* auguror fuisse Symbolum *Plenilunii.* Eam igitur in rem, vt quae asserui, bonis rationibus probem, et in debita luce collocem, ea primum, quae in veterum Aegyptiorum traditionibus, de *Butonis*, vel *Latonae* Numine, perhibita inuenimus, adferam: mox vero, quae forte ex Theologia Graecorum, ad illustrandum idem Numen, conquiri posse videbuntur, insuper adiiciam: deinde meam de hac Aegyptiorum Diuinitate sententiam, in medium proferam, et hanc denique, interpretatione nominis Aegyptiaci *Butus*, vel *Buto*, corroborabo.

§. 2. Erat ergo Genti Aegyptiorum Numen antiqua religione, impense cultum, quod ipsi sermone vernaculo *Butum* appellabant, vel *Buto*, quod interpretes Sacrorum Graeci, a Psammeticho rege instituti, *Latonam* interpretabantur. Si STEPHANVM *Byzantium* sequimur, nomen illud Aegyptiis sonabat Βατώ. Agens enim de vrbe *Buto*, Aegypti inferioris, quae Graecis communiter Βᾶτος audit, haec scribit: Ἐκαλεῖτο δὲ Βατὼ, ἀφ' ἧς καὶ ἡ Λητὼ Βατώ. *Butus vrbs Aegyptiace vocabatur Buto.*

Butus vel Buto antiquum fuit Aegyptiorum Numen, quod Graeci interpretantur Latonam.

Vnde etiam LATONA ab Aegyptiis dicitur BVTO. Et hoc nomine nos quoque eam nuncupabimus. Vrbs illa, in qua Dea haec ab Aegyptiis concelebrabatur, etiam HERODOTO Βατὼ audit Lib. II. c. 155. Sic idem c. 59. ἐς Βατῆν πόλιν. c. 83. ἐν Βατοῖ πόλι. c. 111. ἐκ Βατῆς πόλιος. Et sic porro. Etiam apud EPIPHANIVM, in loco, cuius alias aliquoties meminimus, p. 1092, legimus τὴν Βατὼ, τὴν πολίχνην. Sed communius Scriptores vrbem hanc vocant Βᾶτον, *Butum*. Existimat autem STEPHANVS, alios forte secutus, Deam *Buto*, ab vrbe cognomini, nomen suum traxisse, quod sane Graecis solenne erat. At vero Aegyptii * vrbibus tantum non omnibus, certe praecipuis, nomina imponere solebant desumta a Diuinitatibus ibi cultis. *Buto* igitur, vel *Butus*, si de vrbe sermo sit, Aegyptiis nihil aliud significabat, quam *vrbem Batoni* (id est Latonae) *sacram*. Idem sonat, quod Graecis Λητόπολις, vel Λητῆς πόλις, quo nomine plures in Aegypto vrbes insignes fuerunt. Inter illas olim celebritatem maximam consecuta est *Latopolis*, vel Λητῆς πόλις, sita e regione Mempheos, et illius aliquod suburbium, a qua per Nili tantum fluenta erat semota. Ex ea, si ** IOSEPHVM audimus, Israëlitae quondam egressi, mare rubrum et desertum postea transierunt. Successu temporis *** Cambyses, Aegypto armis potitus, vrbem hanc euertit, eoque loco Babylonem aedificari iussit. Et hanc vrbem ideo quondam *Latopolin*, et Aegyptiace, vt credere par est *Butum*, dictam fuisse, quod in illa *Buto*, siue *Latona* Templum cultumque haberet,

* Vide Libri huius cap. III. §. 7.
** Antiquitat. Lib. II. c. XV. §. 1.
*** IOSEPHVS loc. cit. cum quo tamen conferre iuuabit VITRINGAM ad Iesaiae cap. XIX. p. 533.

beret, docent haec STEPHANI verba: Λητῶς πόλις, πόλις Αἰγύπτου. Ἔστι δὲ μοῖρα Μέμφιδος, καθ' ἣν αἱ πυραμίδες, Λητῶς ἱερόν. Vbi legendum arbitror καὶ Λητῶς ἱερόν. Sic igitur verte: *Latopolis, vrbs Aegypti. Est vero pars vrbis Memphis, iuxta quam sunt Pyramides, et Latonae Templum.* Pyramides sitae erant trans Nilum, Latonae vero Templum, si bene coniicio, in quadam Insula, inter Latopolin et Memphin, in Nilo fluuio, constructa, vbi fere hodie Nilometrium Cahirianum cernitur. Non satis autem mirari possum, * viros quosdam eruditionis laude excellentes, asserere non dubitasse, *Latopolin*, siue *Butum* in Aegypto inferiori, non a *Latona* Dea; verum a *lato* pisce, illic loci culto, nomen habuisse. Non de vna eademque vrbe ita pronuntiant viri docti. Et erant, quod iam monui, plures in Aegypto inferiori nominis illius vrbes, quod iam pluribus persequi huius loci non est. Sed omnes tamen illae vrbes de quibus loquuntur, sitae erant in Aegypto, aut inferiori, aut media. Et ratio non est dubitandi, has omnes a *Latona* Dea cognominatas fuisse. Longe ab his diffita erat alia *Latopolis*, vrbs Thebaidis, a finibus Aethiopiae non ita longe remota, in qua, tanquam loci illius diuinitas colebatur *latus* piscis, eaque apud PTOLEMAEVM p. 122. non Λητῶς πόλις, sed πόλις Λάτων scribitur, distinctionis ergo, *vrbs* nempe *Latorum*, piscium. Clare id docet STRABO Lib. XVII. p. 559. 561.

§. 3. Erat igitur *Butus*, vrbs in Aegypto inferiori, magnitudine praestans et percelebris, prope *Sebennytum*, neque valde remota ab *ostio Sebenny-*

Dea haec solenniter inprimis colebatur

*MARSHAMVS in *Canone Chronico* p. 398. HOLSTENIVS et BERKELIVS ad Stephanum voce Λητῶς πόλις.

Buti, vrbe inferioris Aegypti.

bennytico *, in qua *Buto*, ſiue *Latona* Templum habebat iumtuoſum inprimis et ſplendidum, vbi in honorem eius Sacra, magno apparatu, a permultis ex tota Aegypto illuc commeantibus, quotannis celebrabantur. Illic Dea haec Oraculum quoque habebat inclytum **, multorumque ſermonibus celebratum, ad quod conſulendum, homines vndecunque confluere ſolebant. Praeter *Latonam* colebantur etiam in eadem vrbe, ſumma religione *Horus*, quem Graeci *Apollinem* nominant, et *Diana*, Aegyptiace dicta *Bubaſtis*, non quidem, ceu e *Latona* in lucem editi, quae eſt Graecorum fabula; ſed tanquam Deae illius alumni, quos illa ſollicite nutriuiſſet. Templum Numinibus hiſce, Buti in quadam inſula conſtructum, inter admiranda Aegypti olim numerabatur. *Alia quoque*, inquit *** MELA, *in his terris mira ſunt. In quodam Lacu*, (Butico nempe) *Chemmis inſula, lucos ſyluasque, et Apollinis grande ſuſtinens Templum, natat, et quocunque venti agunt, pellitur.* Conſimilia de inſula hac natante, memoriae prodidit HECATAEVS, hiſtoricus nobiliſſimus et perantiquus, cuius haec apponere iuuat verba: † *In Butis, circa Templum Latonae, eſt inſula Chembis nomine, Apollini ſacra, eſt autem inſula mobilis, et circumnatat.* Sed operae pretium eſt, audire et HERODOTVM, teſtem rei huius oculatum, qui quae ipſe viderat, hunc in modum refert, Lib. II. c. 156. *Secundo loco, inter mirabilia huius loci ponenda eſt inſula, nomine Chemmis, in lacu profundo*

ac

* HERODOTVS Lib. II. c. 59. 155. 156. Adde STRABONEM p. 551. STEPHANVM in Βοῦτος.

** HERODOTVS Lib. II. c. 83. 111. 133. 152. etc. et Lib. III. c. 64. AELIANVS Var. hiſt. Lib. II. c. 41. STEPHANVS in Βοῦτος. STRABO p. 551.

*** *de Situ Orbis*, Lib. I. cap. 9.

† Apud STEPHANVM in voce Χέμμις.

ac ſpatioſo ſita, prope Templum, quod Buti eſt Latonae aedificatum. *Eam inſulam Aegyptii dicunt moueri et natare. Ego tamen illam nec vidi innantem, nec ſe mouentem, et magnopere miratus ſum, vbi iſtud audiui, tanquam verum eſſe poſſit, inſulam natare. In hac igitur inſula, Templum Apollinis,* (Hori) *magnum eſt, et aras triplices extructae. Protulit eadem palmas frequentes, aliasque partim fructiferas, partim ſteriles arbores.* Ad cultum *Hori*, in illo Templo ab antiquo peragi ſolitum, acceſſit poſtea regnantibus Ptolemaeis, cultus *Harpocratis*, in cuius honorem ſolennia quouis anno, ritibus operoſis illic celebrari conſueuerunt, quae prolixe deſcribit EPIPHANIVS p. 1092; nam illius tempore nondum videntur plane deſiiſſe. Propter haſce rationes, Sacra *Butica*, quae ad *Butonem*, ſeu *Latonam* praecipue referebantur, erant in tota Aegypto valde celebria, ab omnibus frequentata, et ſummo in pretio habita. Vnde PLVTARCHVS, loquens de Sacris Aegyptiorum, quae ipſis prae ceteris eſſent chara et venerabilia, * *Nilum*, *Memphim*, et *Butum* coniungit.

§. 4. De ipſa tamen hac Dea, *Butone* Aegyptiorum, pauca admodum ſunt, quae in veterum commentariis, literis mandata inueniantur. Summa eorum ad haec fere redit, quae HERODOTVS, a Sacerdotibus Aegyptiis accepta, hunc ad modum tradidit Lib. II. c. 156. *Ratio, quam Aegyptii reddunt, ob quam inſula, in qua extructum eſt magnificum Hori Templum, mobilis ſit ac natatilis, iſta eſt. Dicunt Latonam quae fuit ex numero octo Deorum, quos Aegyptii habent primos et antiquiſſimos omnium, cum habitaret in vrbe Buto, vbi illius eſt Oraculum, ab Iſide, tanquam depoſitum aliquod, accepiſſe Horum,*

De Butone, vel Latona traditiones Aegyptiorum.

* *de Iſide et Oſir.* p. 377.

rum, eumque in insula, quae nunc dicitur natatilis, occultasse, sicque ab insidiis Typhonis immunem praestitisse ac seruasse, quo tempore Typhon omnia diligenter inuestigans, etiam istum in locum peruenit, vt quaereret filium Osiridis. Aegyptii enim perhibent, Horum seu Apollinem, et Bubastin, quam nos dicimus Dianam, liberos esse Osiridis et Isidis, Latonam vero ipsorum extitisse nutricem et seruatricem. Ex sola hac Aegyptiorum fabula sacra, Aeschylus Euphorionis filius, hausit id, quod de Diana is vnus finxit. Dixit autem, Dianam esse filiam Cereris, ideoque insulam factam esse natantem. Ex HERODOTO desumsisse videtur, quod eadem de re obseruauit PAVSANIAS in Arcadicis p. 676: *Cereris vero filiam, non Latonae, fuisse Dianam, qui sermo est Aegyptiorum, ab iis acceptum Graecos docuit Aeschylus, Euphorionis filius. Buto* itaque, siue *Latona* Aegyptia, a Sacerdotibus non tradebatur *Hori* et *Bubastleos* mater, quippe quod adscriberetur *Isidi;* verum *nutrix* et *seruatrix*, quae ipsos aduersus machinationes vimque tyrannicam Typhonis protexit, aluitque Buti, et in lacubus vicinis. Tangit eandem Aegyptiorum fabulam sacram, quam ex HERODOTO attuli, etiam PLVTARCHVS de Isíde p. 357 fin. vbi fabulosas Aegyptiorum de *Isíde* traditiones commemorans, etiam hoc refert, quod ex Phoenicia in Aegyptum redux, *ad filium suum Horum, Buti enutritum*, (a Latona) *profecta fuerit.* Et in libro eodem p. 366: *Horum in paludibus, apud Butum a Latona dicunt enutritum esse.* Et in Sacris Buticis, solenniter quotannis celebratis, imaginem quandam huius rei repraesentabant. Nam Sacerdotes Hori, * *Harpocratem adinstar nutricum alebant et nutriebant, cum tamen senes essent, aetatis iam pro-*

* EPIPHANIVS Expositi. Fidei p. 1092.

proiectioris. Ad eaſdem vero Sacras de *Latona Butica* fabulas, et hoc ſpectat, quod PLVTARCHVS narrat p. 354: ὡς ὁ Τυφὼν ὗν διώκων πρὸς τὴν πανσέληνον εὗρε τὴν ξυλινὴν σόρον, ἐν ᾗ τὸ σῶμα τοῦ Ὀσίριδος ἔκειτο, καὶ διέῤῥιψεν. *Typhonem, cum plena luna ſuem perſequeretur, reperiſſe ligneam arcam, in qua Oſiridis corpus iacebat, idque diſieciſſe.* Haec enim contigiſſe circa vrbem Butum, vbi *Latona* enutriebat Horum, ex hiſce Scriptoris eiuſdem verbis diſcimus p. 357 fin. Τῆς δὲ Ἴσιδος πρὸς τὸν υἱὸν Ὧρον, ἐν Βέτῳ τρεφόμενον πορευθείσης, τὸ δὲ ἀγγεῖον ἐκποδὼν ἀποθεμένης, Τυφῶνα κυνηγετοῦντα νύκτωρ πρὸς τὴν * σελήνην, ἐντυχεῖν αὐτῷ. *Cum autem Iſis, ad Horum filium, qui Buti enutriebatur, iter faceret, et arcam,* (in qua erat corpus Oſiridis) *extra conſpectum hominum depoſuiſſet, Typhonem noctu, plena cum eſſet Luna, venantem, in arcam illam incidiſſe.* Erat ergo *Hori* et *Bubaſteos* nutrix *Latona*, ſiue *Buto*, quae eos alebat et educabat Buti. Et tamen erat ex octo Aegyptiorum primis principibuſque Numinibus, quod HERODOTVM ſupra teſtantem vidimus Lib. II. c. 156.

§. 5. Ex iis, quae de *Butone*, Aegyptiorum Numine attulimus, non difficulter colligere poterunt eruditi, cut Diuinitatem hanc Graeci *Latonam* interpretati ſint. Etenim apud Graecos *Latona* mater perhibebatur *Apollinis* et *Dianae*; Aegyptii vero *Apollini* ſuo, id eſt *Horo*, et *Dianae*, quam ipſi *Bubaſtin* nuncupabant, *Butonem* adiungebant, non quidem tanquam matrem; ſed tamen vt *nutricem* et *ſeruatricem*, ideoque honore eodem tria haec Numina dignabantur, ac inter ſe etiam coniungebant, non ſecus atque Graeci et Romani *Dianam* et *Apollinem*,

Traditiones Aegyptiorum de Butone, cum Doctrina Theologorum Graecorum de Latona conferuntur.

* pag. 354. erat πρὸς τὴν παιτέλησον, et ſic quoque hic ſcribendum eſſe auguror.

linem, cum *Latona* ſociare ſolent. Vnicum hanc in rem adduco HORATIVM, qui ex eorum Praeceptis ita canit Carm. Lib. I. Od. XXI:

DIANAM tenerae dicite virgines:
Intonſum pueri dicite CYNTHIVM,
LATONAMque ſupremo
Dilectam penitus Ioui.

Quia igitur inter fabulas Graecorum, et Theologiam Mythicam Aegyptiorum, in hoc Numine magna intercedit affinitas, ſuperuacaneum videri nemini poteſt, ſi Theologiam Graecorum Phyſicam de *Latona*, in conſilium adhibeamus, experturi, num non illa nobis aliquid ad explicandam veram rationem Numinis Aegyptiaci ſuggerat, cum de hac illorum Diuinitate, praeter ea, quae iam retulimus, vix aliud quid memoriae proditum deprehenderimus. Aliquam ex Theologia Graecorum Phyſica, Numinis, nominisque *Latonae* interpretationem ſubminiſtrat nobis PORPHYRIVS, Philoſophus magni nominis, et veteris Theologiae inueſtigator diligens. Sic autem is: * Τῦ δὲ ὑπὸ Σελήνην φωτιζομένυ καὶ σκοτιζομένυ ἀέρος, ἡ Λητὼ σύμβολον. λεθὼ γὰρ αὐτὴν εἶναι, διὰ τὴν κατὰ τὸν ὕπνον ἀναισθησίαν· καὶ ὅτι ψυχαῖς ὑπὸ Σελήνην γινομέναις λήθη, ξυνομαρτεῖ τῦ θείυ· Καὶ διὰ τῦτο καὶ μήτηρ Ἀπόλλωνός τε καὶ Ἀρτέμιδος, τῶν αἰτίων φωτισμῦ τῇ νυκτί. καὶ ἐν τύτοις ἡλίυ καὶ σελήνης μητέρα φησὶν εἶναι τὸν ὑπὸ σελήνην ἀέρα· τῦτον γὰρ εἶναι τὴν Λητώ. Quae ita ſunt latine reddenda: *Eius autem aëris, quem infra Lunam modo illuminari, modo tenebris obſcurari videmus, Latona Symbolum eſt, quippe quae* λεθὼ *quaedam,*

* Apud EVSEBIVM, Praepar. Euang. Lib. III. cap. XI. poſt init.

quaedam, id eſt obliuio ſit, partim, quia qui dormiunt, nihil perſentiſcunt, partim, quod animos illos. qui infra Lunam degunt, diuini Numinis oblitio comitetur. Eadem de cauſa, mater Apollinis et Dianae, quibus illuminatio noctis in acceptis ferenda eſt, Latona nuncupari ſolet, quibus nihil aliud ſignificatur, quam aërem, Luna inferiorem, quippe qui Latona ſit, Solis ac Lunae eſſe Parentem. Nolui explicationem hanc phyſicam Numinis *Latonae*, quam debemus Philoſopho, ſua aetate illuſtri, tacitus praeterire, tametſi parum omnino mihi arrideat. Et ſi omnia ſtudioſe expendo, non poſſum non iudicare, eam neque Graecorum, neque Aegyptiorum Theologiae conuenire. Recte aduerſus eam, niſi vehementer fallor, haec EVSEBIVS, loc. cit. repoſuit: *At enim, quomodo tandem aër parens eorum eſſe poſſit, qui illuminationis cauſae ſunt, praeſertim cum ipſe efficiatur potius, quam efficiat? Sol enim atque Luna variam ac multiplicem in aëre mutationem ac viciſſitudinem efficiunt.*

§. 6. Audiamus nunc aliam Numinis *Latonae* explicationem, ex veterum Graecorum Theologia Phyſica pariter depromtam, quae, cum eius permulti meminerint, videtur fuiſſe communior, neque etiam apparet, eam a Theologia Aegyptiorum multum abhorrere. Volebant igitur veteres Graecorum Theologi, per *Latonam* deſignari *Noctem.* Docet hoc PHVRNVTVS, de Nat. Deor. cap. 2. * Ἐξ ὧν μὲν Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις ἐγέννηθησαν διὰ τῆς Λητοῦς. Λητὼ γὰρ τὴν νύκτα ὀνομάζουσι. —— λήθη τις ἔσται. Ἐν γὰρ τῇ νυκτὶ καθευδόμενοι λανθάνουσι πάντων οἱ ἄνθρωποι. *Ex Ioue Latona peperit Apollinem et Dianam. Latonam vero dicunt, vt*

Latona in Theologia Graecorum phyſica eſt Nox, et, vt recentiores quidam volunt, Chaos primigenium.

* Haec leguntur in Editione THO. GALEI. In prioribus deſunt.

vt quae ſit quaedam Λήθη, *id eſt obliuio. Nam qui noctu dormiunt, rerum omnium obliuiſcuntur.* Conſentanea his ſunt haec PLVTARCHI, in libro *de Feſto Daedalis apud Platacenſes*: * Νὺξ δὲ ἡ Λητὼ, λησώ τις ὅσα τῶν εἰς ὕπνον τρεπομένων. *Latona vero eſt Nox, quippe quae eorum, qui ſomno ſeſe dant,* λησὼ *quaedam ſit, id eſt obliuio.* Et eodem modo *vetus Scholiaſtes Heſiodi* in Theogoniam, Pag. CXLI. a. Edit. Trincauelli: Λητὼ λέγεται ἡ λήθη καὶ ἡ νύξ. *Latona dicitur et obliuio et nox.* Et paſſim talia leguntur apud Veteres. Temperare mihi tamen iam nequeo, quin ex EVSTATHII in Homerum Commentariis, hanc eius obſeruationem apponam: ** Λητοῦς υἱὸς ὁ Ἀπόλλων λέγεται, τουτέστι νυκτός· δοκεῖ γὰρ ἐξ αὐτῆς, οἷα μητρὸς, ὁ ἥλιος γεννᾶσθαι, ὡς καὶ Σοφοκλῆς ἐν Τραχινίαις λέγει. ——— Λητὼ δὲ ἡ νὺξ, διὰ τὴν παρ' Εὐριπίδῃ σοφὴν καὶ ποτνίαν λήθην. ὑπνοῦντες γὰρ νυκτὸς πάντων λανθανόμεθα. *Filius Latonae dicitur Apollo, id eſt noctis, videtur enim Sol ex illa, tanquam ex matre procreari, ſicuti et Sophocles in Trachiniis loquitur.* ——— *Nox vero* Λητὼ *nuncupatur, propter* λήθην, *id eſt obliuionem, quam Euripides ſapientem et venerandam appellat. Dum enim noctu ſomno nos dedimus, omnium rerum obliuiſcimur.* Verba SOPHOCLIS, ad quae in his reſpicit EVSTATHIVS, extant in Trachiniis v. 93.

Ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα
τίκτει, κατευνάζει τε φλογιζόμενον
ἅλιον ἅλιον αὖτῳ.

Quem nox aſtrifera e medio ſublatum
Progignit, et eundem luce fulgentem rurſus ſopit
Solem, Solem in loco.

Noctem

* apud EVSEBIVM, Praepar. Euang. Lib. III. cap. I.
** in Iliados Lib. A. p. 22.

Noctem hanc, quam cum *Latona* eandem faciunt priſci Graecorum Theologi, NATALIS COMES interpretatur *Chaos* primitiuum, ex quo omnia creata ſunt. Hoc ſane ad Theologiam Aegyptiorum propius accedere videri poſſet. Quare haec eius verba adſcribere non grauabor: * *Latona —— poteſt etiam a λανθάνω, quod latere ſignificat, deduci, quia e tenebris Apollo et Diana nati ſunt, e confuſa ſcilicet rerum natura.* In ſimiles cogitationes video etiam incidiſſe GERHARDVM IOHANNEM VOSSIVM, virum omni memoria digniſſimum, quamobrem et hanc eius obſeruationem appono: ** *Heſiodus in Theogonia, vti et in Metamorphoſibus Ouidius, Apollinem et Dianam natos aiunt e Ioue et Latona. Vbi Iupiter eſt opifex mundi: Latona eſt materies vniuerſi, quae Λήθω, ſiue Latona, ἀπὸ τῦ λήθειν, dicta eſt, quoniam, antequam lux foret, omnia in tenebris delituerint: vel quia, vt Platonici volunt, rudis illa indigeſtaque moles, innumeris latuit Seculis, vſque dum Mundi ille architectus, omnibus in orbem redactis, ſingulis ſuum tribuit decus.* Quae quidem, quomodo ad vetuſtam gentis Aegyptiacae Theologiam, non ſine magna veri ſpecie, applicari queant, nunc iam videamus.

Ex doctrina Graecorum de Latona, collata cum Aegyptiorum Theologia, tentatur interpretatio Numinis Butici.

§. 7. Volunt nempe, qui inter Graecos, Theologiae Phyſicae excolendae operam dederunt, per *Latonae* Numen nihil aliud intelligi, quam *Noctem*, ſiue iam *noctis* nomine indicetur pars illa diei naturalis, qua Sol Horizontem noſtrum relinquit, ſiue etiam ille ſtatus rerum omnium primigenius, quo

*** *Vnus erat toto naturae vultus in orbe,*
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles.

Et

* *Mythol.* Lib. III. cap. XVII. verſus fin.
** *de origine Idololatriae*, Lib. II. cap. XII. fol. 186. b.
*** OVIDIVS Lib. I. *Metam.* initio.

Et hanc *Noctem*, ſiue ſumatur priori, ſiue poſteriori ſenſu, ab Orientalibus fere cunctis, ac ſigillatim ab Aegyptiis, per σωματοποιΐαν quandam, vt Numen magnum et potens, impenſa religione cultum fuiſſe, multis docuimus Lib. I. cap. I. Sed ibidem tamen demonſtratum quoque dedimus, Numen illud *Noctis* Aegyptiorum, ſermone ipſorum auito, ſonuiſſe *Athor*, illudque nomen Graecos communiter interpretari *Venerem*. Verum enim vero, hoc non obſtante, adſunt, quae nos ad credendum inducere queunt, *nocturnum* Gentis Aegyptiacae *Numen*, nonnunquam etiam nomine *Butonis* vel, vt cum Graecis loquar, *Latonae* deſignari. Obſeruauimus nempe Libro et cap. citato, §. 13, veteres Aegyptios, religioſis ritibus coluiſſe aliquam Ἀφροδίτην σκοτίαν, *Venerem tenebricoſam*, vel, quod idem eſt, *nocturnam*. Eandem vero diximus a DIODORO *Siculo* appellari Ἑκάτην σκοτίαν, *Hecaten tenebricoſam*. Et ex indiciis non valde obſcuris, colligere licet, Numini huic nocturno, ſiue illud *Venerem*, ſiue cum aliis *Hecaten* appellare libeat, aram ſtatutam, Sacraque facta fuiſſe in Templo Serapidis antiquiſſimo, ſito in inſula prope Pyramides, in quo Apidis fato functi corpus recondi ſolebat. Ibidem ſitum etiam fuiſſe Fanum aliquod *Latonae* Aegyptiacae, a qua *Letopolis*, Mempheos ſuburbium nomen traxit, diſcimus ex his ALEXANDRI *Polyhiſtoris*, e libro III. rerum Aegyptiacarum. * Λητοῦς πόλις, πόλις Αἰγύπτου. Ἔστι δὲ μοῖρα Μέμφιδος, καθ' ἣν αἱ πυραμίδες, ** καὶ Λητοῦς ἱερόν. *Latopolis, vrbs Aegypti. Eſt vero pars vrbis Memphis, iuxta quam ſunt Pyramides, et Latonae Templum.* Mihi dubitare omnino non licet, ſubinnui illud ipſum Sacellum, in

* Apud STEPHANVM *Byzantium* in voce Λητοῦς πόλις.
** Vide ſupra §. 2.

in Templo Serapidis prope Memphim, quod alii *Veneris*, vel *Hecates tenebricoſae* nominant. Poterat merito Numen illud, cui dedicatum erat hocce Templum, nuncupari *tenebricoſum* et *nocturnum*, quia * Templum illius omnibus erat inacceſſum et clauſum, praeterquam illis diebus, quibus *Apim* ſepeliri contingeret. Quae ſi ita ſe habent, vti ſuſpicor, ſequitur, cultum illic fuiſſe Numen aliquod, cui nomen Aegyptiacum fuiſſe *Athor* coniicio, Graecos vero illud modo *Venerem*, modo *Hecaten*, modo etiam *Latonam*, ob rationes, quas §. 6 expoſui, interpretatos eſſe. Nempe Numen illud praeerat *Nocti*, et *tenebris*, adeoque etiam tenebris Mortis, ad quas homines et animantia, relicta luce vitae huius, poſtliminio redire coguntur. Statum hunc etiam paſſim vocare ſolent *noctem*, vti CATVLLVS in notiſſimo *carmine ad Leſbiam*

Soles occidere et redire poſſunt:
Nobis quum breuis occidit lux,
NOX eſt perpetua vna dormienda.

et HORATIVS *Carminum* Lib. I. oda IV.

Vitae ſumma breuis ſpem nos vetat inchoare longam.
Iam te premet NOX, fabulaeque Manes
Et domus exilis Plutonia. ——

Et ſic nobiliſſimus Poëta, Aeneid. Lib. X. 746. et XII. 310.

—— in aeternam clauduntur lumina NOCTEM.

Quae quomodo ex interpretatione Theologorum Graeciae, de qua §. 6, etiam ad Latonam applicari queant,

* Vide infra Lib. IV. cap. III. §. 2. et 8.

queant, nemo est, qui non illico intelligat. Verum, inquies, quid haec ad *Butonem*, siue *Latonam Buticam?* Sane non desunt rationes, ex quibus verosimiliter colligi queat, ea, quae de *Hecate Memphitica* commemorantur, etiam ad *Latonam Buticam* spectare. Ipsum *Latonae* huius nomen, quod *Buto* est, vel *Butus*, non leuiter id quod dixi, confirmare videtur. Testatur namque HESYCHIVS, Aegyptios sermone patrio Βατὲς dixisse *sepulchra*, in quibus mortuorum cadauera reponuntur. Verba eius sunt: Βατοὶ τόποι παρ' αἰγυπτίοις, εἰς ὃς οἱ τελευτῶντες τίθενται. *Buti Aegyptiace dicuntur loca, in quibus mortui reconduntur.* Et interpretatio haec vocis Aegyptiacae, quae tamen ad *Numen Buticum* forte plane non spectat, minime contemnenda est. Etenim ex Coptorum libris intelligitur, ⲂⲎ, *Be*, *sepulchrum* dici Aegyptiace. Matth. XXIII. 29. Analogiae autem grammaticae sermonis Aegyptiorum non repugnat, ex ⲂⲎ, singulari, formari pluralem ⲂⲎⲞⲨⲦ, *Be-ut*, vnde addita terminatione graeca, natum est *Hesychianum* Βατοί. Aut a ⲂⲎ, *sepulchrum*, formari etiam regulariter potest adiectiuum ⲂⲎⲞⲨⲦ, *sepulchralis.* Possent sic dici *cistae* vel *arcae sepulchrales.* Sic etiam Βᾶτος posset dici Numen *sepulchrale*, quod nempe *sepulchris praeesse* crederetur, dummodo haec etymologia confirmari aliunde posset. Sed, vt verum candide fatear, praeter literarum et syllabarum sonum, non est quicquam, ex quo concludi rite queat, Βατὲς HESYCHII, spectare ad *Butonem*, siue *Latonam* Aegyptiorum, Buti cultam. In ipso Numine, et traditionibus Aegyptiorum de eo, nihil deprehendere possum, quod ad sepulchra et tenebras mortis referri debeat, aut queat. Est tamen aliquid, quod praeterire nolim, quandoquidem videri posset quibusdam, con-

fici

fici ex eo posse, *Latonam* Aegyptiorum *Buticam*, a *Venere* eiusdem gentis, *Athor* vocata, id est *Nocte*, adeoque a primo principio rerum omnium passivo, vel materia chaotica, ex qua omnia sunt formata, parum omnino differre. Nempe *Latonae Buti* cultae, sacer erat *mus araneus*, quem Graeci μυγαλῆν vocant. Ideoque animalcula illa, quorum morsus venenatus habetur, mortua deportabantur *Butum*, vt ibi, secundum leges Sacrorum conditae, cistis illatae sepelirentur, teste HERODOTO Lib. II. c. 67. Quin imo in fabulis Sacerdotalibus Aegyptiorum perhibebatur, *Latonam*, id est *Butonem*, vt persecutionem Typhonis effugeret, se in *murem araneum* conuertisse, quod ANTONINVS LIBERALIS docet, Fabula XXVIII. Et aliunde etiam scimus, Aegyptios bestiolam hanc honoribus diuinis affecisse. Putabatur enim, quod ex dictis iam sic colligitur, sacra et viua quaedam Latonae Buticae imago. Cur vero Aegyptii animal adeo vile et impurum tanto dignarentur honore, rationem hanc reddit PLVTARCHVS, *Sympos.* Lib. IV. Quaest. V. p. 670: Τὴν μυγαλῆν λέγεσιν ἐκτεθεῖσθαι ὑπὸ Αἰγυπτίων τυφλὴν ἔσαν· ὅτι τὸ σκότος τοῦ φωτὸς ἡγοῦντο πρεσβύτερον. *Murem araneum diuinos honores reperisse apud Aegyptios, aiunt, eo quod coecus sit. Nam tenebras luce esse priores censent.* En! igitur *murem araneum* Symbolam *tenebrarum*, insimulque *Latonae* imaginem, vnde concludi posse non immerito videtur, *Latonae* Numen cognationem habere cum *Nocte*, et *tenebris*. Quod si iam certum esset, id, quod PLVTARCHVS refert, omnino ita se habuisse, et ex prisca Aegyptiorum Theologia fluxisse, magnum id apud me pondus haberet, ad asserendum, *Latonae* Numen *nocturnum* fuisse, atque *tenebricosum*. Verum auctor egregius non sine cunctatione ita pronuntiat. *Aiunt Aegyptios* id tradere. Suspi-

cor ergo, Graecos, cum scirent, murem araneum diuinos in Aegypto consecutum esse honores, rei adeo mirificae rationem quaesiuisse in animalculi huius coecitate, quam ei tribuunt non pauci; sed quae re ipsa est imaginaria. Operae pretium est, ea de re adscribere verba viri docti, qui ea literis prodidit, quae oculis antea ipse subiecerat. Mus araneus * *est oculis paruis: quanquam autem totus paruus sit, oculos tamen ei multo, quam proportione minores esse, ipse obseruaui, et propter hanc oculorum paruitatem visum ei admodum hebetem esse puto, adeo, vt veterum quidam murem coecum appellarint.* Non igitur veram causam PLVTARCHVS nobis hic commemorasse videtur, ob quam Aegyptii, in *mure araneo*, colere voluerint suam *Latonam*. Et omnino ad tenebras mortis, aut noctis, quomodocunque eam accipias, Numen hoc relatum non fuisse, arbitror. Sunt etiam rationes, quae mihi persuadent, *Latonam* illam, cuius Sacellum fuit in Templo Serapidis, prope Pyramides, de qua supra diximus, non fuisse *Numen Buticum*, cuius Templum, vna cum antiqua vrbe *Letopoli*, a Persis dudum fuerat dirutum. Sed Dea illa, quae ab aliis etiam vocatur *Venus*, et *Hecate tenebricosa*, a Graecis nonnullis *Latonae* nomine insigniebatur, nam id Graecorum Theologia permittebat, et nouerant, in vicina Letopoli, Aegyptiorum *Latonam* olim enixe cultam fuisse.

Sed re ipsa Latona Butica referebatur ad Isin, vel Lunam, eratque huius

§. 8. De alia igitur omnino *Numinis Butici*, vel *Latonae* Aegyptiacae interpretatione cogitandum nobis erit. Quod si autem ea, quae de Dea hac Aegyptios perhibuisse reperio, etsi pauca sint, meditate pensito, et inter se confero, subit illa mentem meam cogitatio, Numen eius ad Lunam a priscis Thec-

* CONR. GESNERVS de Quadrupedibus viuiparis p. 845.

Theologis relatum omnino fuisse. Sane Deam hanc, certo quodam sensu, ab Iside, magno et sacrosancto Lunae Symbolo, diuersam non fuisse, probari negotio nullo potest. Saepe namque in Aegyptiorum fabulis sacris, vbi *Isis* nominatur, non Dea haec, proprie et cum distinctione ita dicta, intelligenda venit; sed *Buto* seu *Latona*, vnde absque vitio concludimus, multa quae de *Iside* siue *Luna*, ab Aegyptiis praedicabantur, ad *Latonam* etiam applicari posse, et vice versa, aut duas has Deas, ad vnum *Lunae* Numen referri. Ita PLVTARCHVS, haud dubie ex traditionibus Aegyptiorum, *de Iside* p. 366 extr. Τῆς δὲ Ἴσιδος πάλιν ἀναλαμβανούσης τὸν Ὄσιριν, ἡ ἀυξανούσης τὸν Ὧρον, ἀναθυμιάσεσι, καὶ ὁμίχλαις καὶ νέφεσι ῥωννύμενον, ἐκρατήθη μὲν, οὐκ ἀνηρέθη δὲ ὁ Τυφών. *Rursus vbi Osirin Isis recepit, et Horum nutrit ac educat, crescentem ac roboratum exhalationibus, et nebulis ac nubibus: superatus quidem, non tamen interfectus est Typhon.* Vides hic *Isidem*, recepto marito suo, filium etiam *Horum*, vel quod hic idem est, *Harpocratem* nutrientem ac saginantem, quod tamen *Butonis*, siue *Latonae* munus proprium habitum fuisse, ad quod fabulae de ea Aegyptiorum inprimis respicere solent, ex §. 4 satis constare potuit. Ex eo sequi etiam, facile perspicient docti & idonei rerum talium iudices, signa vetusta, in quibus *Isis* repraesentatur, *Horo* filiolo, vel *Harpocrati*, vbera praebens, quaeque in * Collectionibus Antiquariorum non pauca, occurrunt, vere et proprie ad *Latonam Buticam* referri debere. Saepe igitur, vbi *Isis* nominatur, re ipsa tamen, et maxime proprie, *Latona* Aegyptiorum intelligi debet. Est nempe in tantum vnum vtriusque

aliquod Symbolum.

* MONTFAVCON *Antiquite expliquée*, To. II. Tab. CV. CX. CXIII.

vtriuſque Numen, quod et haec et illa, aliquod Lunae Symbolum extiterit, religione Aegyptiorum conſecratum. Et hanc quoque cauſam eſſe credo, quod Aegyptii *Butoni*, vel *Latonae* ſuae, *murem araneum* dedicatum et ſacratum voluerint, quod §. 7 oſtendimus. Rationem dabit PLVTARCHVS, qui verbis, ſupra §. 7 allatis, illico haec ſubiungit: Τὴν μυγαλῆν τίκτεσθαι λέγουσιν * ἐκ μυῶν, πέμπτῃ γενεᾷ, νουμηνίας ὄσης· ἔτι δὲ μειοῦσθαι τὸ ἦπαρ ἐν τοῖς ἀφανισμοῖς τῆς σελήνης. *Murem araneum naſci aiunt e muribus quinta generatione, in nouilunio: atque iecur eius minui, quando lumen Lunae deficit.* Tribuebatur itaque animalculo huic aliqua cum Luna, eiuſque viciſſitudinibus, cognatio et ſympathia, quae ſine dubio ratio erat, cur illud Lunae conſecratum voluerint Aegyptii. Et hanc, aliis eorum obſeruationibus genuinis, de quibus cap. III. §. 6 quaedam notauimus, perſimilem eſſe, quis negauerit?

Id ex eo etiam colligitur, quod Latona illa perhibita fuerit, Buti Horum et Bubaſtin nutrire.

§. 9. Verum illa PLVTARCHI obſeruatio, quam retulimus §. 8: *Iſidem* (ſiue *Latonam Buticam*) *Horum educare et nutrire Buti, creſcentem exhalationibus, nebulis ac nubibus*, aenigmatis Aegyptiaci ſenſum genuinum, niſi me ſpes fallit, nobis recludet. Ex §. 4 abunde perſpici potuit, fabulas Aegyptiorum de *Latona* ſua, tantum non omnes, eo ſpectaſſe, vt Dea haec haberetur *Hori* et *Bubaſteos* nutrix, quae hos in paludibus Buticis aluerit et ſollicite educauerit. Hoc ipſo autem Sacerdotes ſubinnuebant, *Latonam Buticam*, diuerſam a *Lunae Numine* non eſſe. Vt vero id ex hominum iſtorum placitis certo demonſtremus, tenendum omnino nobis

* *Scholiaſtes Nicandri* p. 45. habet ἐκ μυὸς καὶ γαλῆς, *ex mure et muſtela*. Idque nomen animalculi illius graecum confirmare videtur.

nobis est, veteribus fere cunctis, ac sigillatim Aegyptiis persuasum fuisse, * *Oceanum*, et in genere omnem humorem, *Sidera ipsa tot et tantae magnitudinis pascere.* Aegyptii vt hoc ipsum, more patrio, imagine aliqua symbolica adumbrarent, Harpocratem pingebant, loto, in locis palustribus humidisque nascenti, insidentem, eo significantes, ** *Solem ex humidis accendi*; aut, vt etiam loquuntur, splendidum hoc coeli sidus *** *nasci et ali ex humore et exhalationibus.* Iidem dicere quoque solebant, et imaginibus symbolicis fingere, † *Solem et Lunam non curribus, sed nauigiis vehi, innuentes, clarissima haec Mundi sidera, non secus ac res aliae, humore procreari atque ali.* Facilius iam nunc intelligi poterit, quidnam sibi voluerint Aegyptii, dictitantes, *Horum*, qui hic quidem cum *Harpocrate* idem est, ideoque Solem subindicat, circa Solstitium hybernum, renatum quodammodo ac renouatum, *exhalationibus, nebulis et nubibus enutritum, Buti crescere, et adolescere.*

§. 10. Id vero attenta consideratione dignum cumprimis est, quod fabula Aegyptiorum in ore habet, *Horum*, siue Solem renouatum, et *Bubastin*, id est Lunam nascentem, (cap. IV. §. 10.) educatos nutritosque fuisse in vrbe *Buto*, et quidem a *Latona*. Hoc ad inuestigandam veram Numinis huius significationem et interpretationem, nobis non parum proderit. *Buti* perhibebantur *Horus* atque *Bubastis* nutriri, eo quod prope hanc vrbem lacus esset ingens, veteribus non indictus. Meminit eius, praeter

Idque in paludibus Buticis. Nam aqua palustri et fontana credebatur Luna nutriri, et tum res alias viuificare et roborare.

* PLINIVS Lib. II. cap. 68.
** PLVTARCHVS de Iside p. 335.
*** Idem *de Pythiae Oraculis* p. 400.
† Idem de Iside p. 364. CLEMENS *Alexandrinus* Lib. V. Strom. p. 566. EVSEBIVS Praepar. Euang. Lib. III. cap. XI.

ter alios, etiam STRABO, excellens Geographus, p. 551. In hoc lacu tradebant Sacerdotes, *Horum* et *Bubaſtin*, cum eos Typhon perſequeretur, a *Latona* occultatos fuiſſe in inſula, vbi poſtea Numinibus his Templum dedicatum fuit ſplendidum, §. 4. In eodem lacu, vel paludibus, dicebatur etiam *Latona*. Deos hos nutriuiſſe, §. 4. Et praeter hunc *Buticum*, erant plures in vicinia lacus, veluti *Sebennyticus* memoratus SCYLACI in Periplo p. 43, et STEPHANO, in Σεβέννυτος, ac alii, vt igitur illa regio, certis praeſertim temporibus, eſſet valde paluſtris. Hanc vero nutritorum a *Latona* Deorum in paluſtribus Buticis, rationem adfert PLVTARCHVS, * *quia aquoſa et irrigua terra, maxime educit exhalationes, quibus ſiccitas reſtinguitur atque laxatur.* Hoc vero ex ſententia Aegyptiorum, et plerorumque veterum, beneficium erat Lunae, quae aqua paluſtri paſta et corroborata, calorem Solis temperaret humido lumine, et eidem tamen etiam nutrimentum praeberet. ** *Lunam* exiſtimabant *lumen habere genitabile et humectans, ideoque proſperam eſſe et animalium procreationi, et ſtirpium pullulationi, cum Sol viciſſim intemperato igni calefaciat exſiccetque natas et florentes ſtirpes: et ſuo ardore magnam partem terrae fecerit habitationibus ineptam.* Hanc igitur inter beneficia Solis atque Lunae veteres conſtituunt diſcrepantiam: *** *Duobus his reguntur omnia terrena, calore quidem Solis per diem, humore vero Lunae per noctem.* † *Nam vt calore Solis animantur ſemina, ita Lunae humore nutriuntur. Penes ipſam enim et corporum omnium ratio eſſe dicitur et poteſtas.* Hac

* *de Iſide* p. 367.
** PLVTARCHVS loco eodem.
*** *Scholiaſtes* vetus *Horatii* in Carmen Seculare p. 299. a.
† Idem ibidem, pluſculis interiectis.

Hac de cauſa APVLEIVS Metam. Lib. XI. init. de *Iſide* praedicat, quod *luce foeminea conluſtret cuncta Moenia et vdis ignibus nutriat laeta Semina.* Illam vero humidam et beneficam lucem, ſi eoſdem veteres audimus, Luna ſibi acquirit ex aqua dulci, qualis eſt lacuum, fontium, fluuiorum, et paludum, quam attrahit, inque ſuum aliarumque rerum vſum vertit. * *Stoici* certe *volebant, Solem e mari incendi, atque ali: Lunae vero a fontanis et lacuſtribus aquis dulcem mollemque ſubmitti exhalationem.* Et hanc communem fuiſſe Philoſophorum ſententiam, ſatis innuit PLINIVS, Lib. II. c. 101. Vbi, *Ferunt*, inquit, *Lunae foemineum ac molle ſidus atque nocturnum, ſoluere humorem, et trahere, non auferre. — Sed in dulcibus aquis Lunae alimentum eſſe, ſicuti in marinis Solis.* Hanc igitur ob cauſam in fabulis Sacerdotum perhibebatur, *Latonam*, vel *Lunam Symbolicam*, Buti habitare, ſubinnuentes, eam aqua dulci fontana et lacuſtri, quae ibi reperiebatur copioſa, paſtam et corroboratam, alimentum deinde idem *Horo*, vel *Soli renouato*, et *Bubaſti*, id eſt, *Lunae* recens *natae*, et *creſcenti* ſubminiſtrare et diſpenſare.

§. 11. Explicuimus igitur, quo ſenſu Aegyptiorum Theologi de *Latona* ſua *Butica*, id eſt *Luna*, dicere potuerint, quod *Horum*, ſiue *Solem recens natum*, aut *renouatum*, itemque *Bubaſtin*, ſeu *Lunam nouam* et *creſcentem*, nutriat, augeat, et educet. Luna nempe ex fontibus et paludibus dulcem aquam attrahit, eaque veluti ſatiata, nouo Soli alimenta praebet, et ipſa quoque viribus refecta, etſi poſt Plenilunium ſenſim deficiat, atque tandem plane euaneſcat, ſibi ipſa ſufficit, vt mox quaſi renata, lumen ſuum terrae rurſus oſtendat, et de nouo creſcat.

Obſeruatu praeterea dignum eſt, quod veteres Lunam credide-rint eſſe matrem roris.

* PLVTARCHVS loc. cit. p. 367.

ſcat. Verum enim vero, huic generaliori *Latonae Buticae* interpretationi, aliam praeterea ſpecialiorem iungendam puto. Lunam veteres non modo matrem quandam humoris, quem ad ſe trahit, et quo res omnes alit reficitque, arbitrabantur; ſed et, deberi eidem copiam roris coeleſtis, herbis atque frugibus, certo praeſertim tempore, tantopere ſalutaris. Quaenam ſit roris vera ac proxima cauſa, quae origo, multi ex antiquis, ſe ignorare, maluerunt candide profiteri. Ipſe IOBVS cum his facere videtur, vbi Deum ſic rogantem introducit cap. XXXVIII. 28: *An eſt pluuiae pater? aut quis genuit guttas roris?* Ad quae Commentator praeſtantiſſimus, B. SCHVLTENSIVS, haec annotauit: *Senſus hinc talis eniteſcit* „conſidera mihi vel protrita illa, „et quae omnibus exploratiſſima habentur, pluuiam, „rorem, —— quem illis patrem quam matrem aſ„ſignas? „ *Percurre omnes cauſas ſecundas, vnde haec meteora gigni aiunt Philoſophi, et ſenties, te proximam originem vel vnius guttulae non poſſe indicare.* Sed erant tamen, qui rorem a ſideribus gigni autumarent, quos inter eſt FVLGENTIVS, cuius in *Mythologiae* initio hi leguntur verſus:

Vbi guttas florulentae mane rorant purpurae
Humor algens, quem ſerenis Aſtra ſudant noctibus.

vbi * poſterior verſus deſumtus eſſe videtur ex *pervigilio Veneris*, in quo haec occurrunt:

Humor ille, quem ſerenis Aſtra rorant noctibus.

At plerique malebant Lunae, etiam roris generationem adſcribere **. *Idque ſubinnuit Alcman, Poëta Lyricus,*

* Ita NIC. HEINSIVS ad Claudianum Lib. I. in Ruffinum v. 385.

** Apud PLVTARCHVM Sympoſ. Lib. III. p. 659.

Lyricus, rorem Iouis, (siue aëris,) *et Lunae filiam appellans.* Erat illa ALCMANIS sententia celebris, ad quam ideo MACROBIVS etiam prouocat *Saturn.* Lib. VII. cap. XVI: *Aër ipse proprietatem lunaris humoris, et patitur et prodit. Nam cum Luna plena est, vel nascens ——— aër aut * in pluuiam soluitur, aut si sudus sit, multum de se roris emittit. Vnde et Alcman Lyricus dixit rorem aëris et Lunae ** filium.* Hinc sine dubio est, quod Poeta Lunam dixerit *roscidam*, id est roris matrem aut causam.

*** *Solis ad occasum, cum frigidus aëra vesper*
Temperat, et saltus reficit iam roscida Luna.

Et ex recentioribus quoque, nonnulli veteris Philosophiae alumni, ab ista persuasione alieni non sunt. *Perexiguus autem vapor*, inquit † MYLAEVS, *a Luna, vt tradunt, sereno, idque veris potissimum tempore, excitatus, et calore destitutus, non multum sursum effertur. Sed conuersus in pertenuem et subtilem aquam, ad conueniens stirpium alimentum, rore terras aspergit.* Consentit huic alius eiusdem Philosophiae Sectator: †† *Ad rorem iuuant etiam Astra nocturna, praesertim Luna.* Et in eadem penitus sententia fuisse etiam Aegyptios, tanto minus dubitandum, quod sciamus eos asseruisse, Lunam esse matrem et nutricem corporum sublunarium omnium, cap. I. §. 4. et cap. hoc, §. 10. et dulcem cum-

* Particulam hanc *in* supplendam esse duxi.

** In verbis ALCMANIS apud PLVTARCHVM est θυγάτηρ. Vnde praestaret, et hic legere *filiam.*

*** VIRGILIVS Georg. III. 336.

† In *historia Naturae* To. II. *Penus artis historicae* p. 46.

†† FR. REINTZER e Soc. Iesu, in *Meteorologia philosophico-politica* p. 351.

cumprimis humorem ex fontibus lacubuſque, auidiſſime ad ſe trahere.

Atque id videntur etiam in Latona Butica ſignificare, et inprimis colere voluiſſe Aegyptii.

§. 12. Et hoc quidem eſt, ſi recte coniicio, quod in *Latona Butica*, Aegyptii tantopere coluerunt, haec praecipua eius vis et poteſtas, quam venerati in ea ſunt Niligenae. Neque ego id in idolorum et creaturarum cultoribus valde mirari poſſum. Eſt enim illa roris ad terram noſtram nocturna et matutina demiſſio, ingens quoddam naturae beneficium, et pretii inaeſtimabilis. Nam * *ros ex aëre in terram delapſus, nutrimentum plantarum cuadit delicioſum. Terram idem humore benefico imbuit. Arborum folia, quaſi totidem manus, ſe incuruant, vt eum recipere ac imbibere poſſint: flores ſemet aperiunt, vt et ipſi theſauri huius fiant participes. Aduentus aurorae, liquorem hunc exquiſitum in poros ipſorum ingerentis, oppido ipſis pretioſus eſt.*

—— ** *humida dulces*
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturno tanguntur paſcua rore
Et matutinae lucent in gramine guttae.

Inprimis id in regionibus Sole vehementer aduſtis vſu venire experimur, vt, quanto illic rariores cadunt plauiae, tanto copioſiores terram laetificent rores. De Aegypto et regionibus ſimilis indolis id obſeruat THEOPHRASTVS *Hiſtor. Plantar.* Lib. VIII. cap. VI. Ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Βαβυλῶνι, καὶ Βάκτροις, ὅπου μὴ ὕεται ἡ χώρα, *** ἢ σπανίως, αἱ δρόσοι τὸ ὅλον ἐκτρέφουσιν. *In Aegypto vero et apud Babylonem, et Bactra, vbi terra nullis aut raris imbribus*

* *Spectacle de la Nature*, de Mr. PLVCHE To. IV. p. 74.
** TITVS CALPVRNIVS Eclog. V. 52.
*** Particulam ἢ ſuppleui, ſenſu id neceſſario flagitante. Et ſic habet verſio latina.

bribus madet, rores omnia nutriunt aluntque. Ex quo fere PLINIVS desumsit, quae habet Lib. XVIII. cap. 21. *In Bactris, Africa, Cyrene —— siccitas coërcet herbas, fruges nocturno tactas rore nutriens.* Neque etiam recentiores de Aegypto id obseruare neglexerunt. Vide VANSLEBII Relationem itineris Aegyptiaci pag. 39. Eam ob rem * in Scriptura, promissio roris, magnam benedictionem innuit, vti eiusdem denegatio malum ingens. Obseruari et hic illud insuper meretur, in Aegypto, eo ipso tempore, quo Nilus, fertilitatis omnis, qua tellus illa gloriatur, vera causa, ex agris iam recessit, et fruges e terra succrescentes, incolarum animos dulci spe oblectant, rorem Nili quodammodo vice fungi, segetesque laetas facere. In aliis regionibus, tempore verno cumprimis, rores recreant germina; at alio modo res se habet in Aegypto. Illic enim ** sub initium Nouembris, Nilus arua derelinquere incipit. *** Circa finem mensis eiusdem, agri conseruntur. Mensibus vero Decembri et Ianuario, fruges enatae, nutriuntur fouenturque rore tempestiuo. Postremum hoc, quod Aegypto proprium est, testatur, qui in illa regione peregrinatus, diuque moratus est, † PALLADIVS Helenopolitanus Episcopus, *Histor. Lausiac.* cap. XXXIII. vbi de Ptolemaeo Monacho, extrema Scetreos inhabitante, haec

* *Genes.* XXVII. 28. vbi vide CLERICVM. Adde HILLERI *Hierophyticon* Part. II. p. 107. et POCOCKIVM in *Hoseae* XIV. 5.

** MAILLET Description de l'Egypte Part. I. p. 87. Edit. in 8.

*** PLINIVS Lib. XVIII. c. 18. *Peregrinatio* Principis RADZIVILII p. 166.

† Iunge huic Scriptorem recentiorem, VANSLEBIVM, vbi supra.

haec habet: * Βασάτας ἦν ἐκεῖνος κεράμια ** κιλικίσια πλείονα, ἐκεῖσε ἀπήνεγκεν· καὶ τῷ Δεκεμβρίῳ καὶ Ἰανουαρίῳ μηνὶ συναγὼν τὴν δρόσον ἐκ τῶν πετρῶν (δροσίζει γὰρ ἐν ἐκείνοις τοῖς μέρεσι τότε πολλὰ) τὰ κεράμια ἐπλήρωσεν. *Is igitur pocula fictilia complura eo deportauit. Et cum mensibus Decembri et Ianuario, rorem ex petris collegisset, ros enim hoc anni tempore copiosus illic locorum cadit, illo pocula sua impleuit.* Obseruari autem hic peruelim, in fabulis Aegyptiorum tradi solitum fuisse, quod Lib. II. cap. VI. §. 7. 8. probaui pluribus, *Harpocratem*, vel, quod hic quidem perinde est, *Horum*, eodem plane tempore, nimirum circa Solstitium hybernum, inter lacustres flores et plantas natum, et *Buti* enutritum fuisse, a *Latona* nempe *Butica*. Vix ergo crediderim, iustam de iis, quae nunc differui, addubitandi causam superesse cuiquam posse.

Ex iis quae obseruata fuerunt, tandem patescit, Latonam Buticam, Symbolum fuisse Plenilunii.

§. 13. Omnia igitur, quae hucusque in medium attulimus, quantum mihi intelligere datum est, inuicte probant, *Latonam* Aegyptiorum *Buticam*, Symbolum quodpiam fuisse *Lunae*, auita ipsorum religione consecratum. Verum qua tandem ratione Dea haec differre censenda erit a Numinibus *Isidis*, et *Bubastеos*, quae pariter ad *Lunam* relata fuisse, locis suis vidimus, et a quibus tamen *Butonem*, siue *Latonam Aegyptiam*, etiam certa aliqua ratione diuersam fuisse, dubitari prorsus nequit? Poterit nempe ex iis, quae propriis suis locis obseruauimus, luculenter intelligi, *Isidem* generatim *Lunam*, totam-

* In *Bibliotheca Patrum Magna* Parisina To. XIII. p. 951.

** an forte legendum erit κυλικίσια, vt sit diminutiuum a κύλιξ, *poculum*? κεραμίαι κύλικα inuenis apud HERODOTVM et PLATONEM. Vide IVNGERMANNI notas ad Iulium Pollucem Lib. X. cap. 53. p. 1386. Editionis vltimae.

tamque eius vim poteſtatemque deſignaſſe, *Bubaſtin* vero Symbolum fuiſſe *Lunae nouae*, et *creſcentis*, quod et nomen Aegyptiacum innuere mihi videtur. Reſtat igitur, vt *Buto*, ſiue *Latona*, Aegyptiorum filiis ſubindicauerit *Lunam plenam*, quando augmenti et incrementi metam contigit vltimam. Idque nunc rationibus quibuſdam in medium allatis, ad liquidum perducemus. Obſeruauimus autem * ſupra, *Bubaſtin* in fabulis Sacerdotalibus Aegyptiorum perhibitam fuiſſe filiam *Oſiridis* et *Iſidis*, id eſt *Solis* et *Lunae*, quia *Luna*, poſt coniunctionem ſuam cum Sole, et ex radiis huius emergens, *noua* apparet, et velut *recens nata*. Hoc ſane *Lunae nouae*, nempe oculis noſtris iam apparenti, conuenit. Poſtea creſcit eundo, donec aetatis iuſtum quaſi robur conſecuta, curriculi ſui metam vltimam in *Plenilunio* contingat. Hoc profecto mirifice congruit *Latonae Buticae*, quam fabulae Sacerdotum myſticae repraeſentabant Matronam aetatis adultae, *Hori* et *Bubaſteos* nutricem, ſeruatricem, tutricem. Non parum hoc ex eo illuſtratur, quod veteres exiſtimarint, *Lunam*, quo propius ad *Plenilunii* terminum accederet, eo maiorem quoque vim atque virtutem exſerere. ** *Diem* certe, *qua primum conſpiciebatur Luna*, *euitatis et praeteritis radiis Solis*, Aegyptii *bonum imperfectum nominabant*. Diuidebant autem Lunam, vſque ad Plenilunium creſcentem ***, in tres dierum quinarios. Primus quinarius erat imperfectus, tertius vero, a lumine vndecimo, vſque ad decimum quintum, vel ipſum Plenilunium, perfectiſſimus. Praeterea vero *Luna* alma, mater etiam

* Libro hoc III. cap. III. §. 5.

** PLVTARCHVS de *Iſide* p. 368.

*** PROCLVS in Heſiodi Opera et dies pag. CIII. b. Edit. Venetae Trincauelli.

iam credebatur roris, cuius dulci copia, regionem Aegypti, pluuia deſtitutam, eo tempore, quo etiam aqua Nili in agris campiſque deſiderabatur, mirifice recreabat. §. 11. 12. Id vero veteres communiter ad virtutem beneficam *Plenilunii* referre ſolebant. Ita PLVTARCHVS *Sympoſ.* Lib. III. verſus fin. p. 659: Δροσοβολεῖ γὰρ ὁ ἀὴρ ταῖς παντελήνοις μάλιστα διατηκόμενος. *Maxime enim Plenilunio rorem iacit aër colliquatus.* Nec diſſidet MACROBIVS, qui in fine *Saturnaliorum* haec memoriae prodidit: *Aër ipſe proprietatem lunaris humoris et patitur et prodit. Nam cum LVNA PLENA eſt, vel cum naſcitur, (et tunc enim a parte qua ſurſum ſuſpicit, PLENA eſt) aër aut in pluuiam ſoluitur, aut ſi ſudus ſit, multum de ſe roris emittit.* Recentiores quoque ſecuti veteres, rem eandem ſibi obſeruaſſe viſi ſunt. Eorum placita ſequitur PETRVS VICTORIVS, qui Var. Lect. Lib. XIV. cap. XVII. ea de re ita pronuntiat: *Nec enim omnes noctes vno tenore eandem vim roris gignunt. Luna namque ſilente* (* id eſt in coitu Lunae, vel interlunio) *ros non multus deſcendit: contra autem IN PLENILVNIO, magna ipſius copia funditur.* Facit quoque cum iis FR. REINTZER in *Meteorologia*, p. 151: *Ad rorem etiam iuuant Aſtra nocturna, praeſertim Luna, maxime IN PLENILVNIO, in quo maiores ſunt rores; ideoque Luna dicitur roris mater, quia ſcilicet tempore molli, vapores illos etiam noctu educit, qui noctu terris incubantes, ſub crepuſculi initium ſoluuntur in aquas.* Ad eandem, quam nunc explicui, rem, ſpectare etiam auguror fabulam illam allegoricam, cuius meminit ** PLVTARCHVS,

* Vide notas eruditorum ad Catonem de Re Ruſtica cap. 29. p. 46. Edit. Celeberr. GESNERI.

** Vide ſupra §. 4.

CHVS, *Typhonem*, cum *Buti*, vbi *Horus* nutriebatur, ſuem, venando tempore *Plenilunii*, perſequeretur, incidiſſe in arcam, qua corpus Oſiridis mortui conditum erat. Per *Typhonem* videtur hic intelligendum eſſe aliquod Principium noxium, quod *Lunae, plenitudinem* iam aſſecutae effectus exoptatos interciperet. Tales ſunt venti vehementiores. Nam vt ait PLINIVS Lib. II. cap. 60: *Rores neque gelu exiſtunt, neque ardoribus, neque ventis, nec niſi ſerena nocte.* Et Lib. XVIII. cap. 29: *Neque in nube, neque in flatu cadunt rores.* Et quoniam perhibebatur in fabulis myſticis, Typhonem perſequendo ſuem, beneficium Plenilunii interuertiſſe, hinc * ſemel quotannis, in *Plenilunio*, *Oſiridi* vel *Soli*, et *Iſidi* vel *Lunae*, ſus immolari conſueuerat. Qui haec omnia cum §. 4 conferre dedignatus non fuerit, facile animaduertere poterit, ea reſpicere Sacra *Latonae*, in vrbe *Buto* quouis anno redeunte fieri ſolita, tempore alicuius *Plenilunii*, in illius honorem religiose et ſolenniter celebrati. Plura forte ea de re, in noſtra *Tabulae Bembinae* explicatione, aliquando obſeruabimus. Patere etiam ex his arbitror, Numen *Latonae*, non ſecus atque Sacra in honorem eius inſtituta, re ipſa ad *Plenilunium* ſpectaſſe.

§. 14. Vbi iam nunc ad interpretandum nomen Deae huius Aegyptiacum, *Buto*, me accingo, monendus mihi eſt lector, non poſſe me non ſuſpicari, Graecos pronuntiationem et ſcriptionem vocis Aegyptiacae nobis non vſquequaque ſinceram et illibatam conſeruaſſe. Graeci nomen et Deae, et vrbis illi conſecratae, vel Βατώ, vel Βᾶτον efferre ſolent. *Interpretatio nominis Aegyptiaci, Buto, vel Butus lectori offertur.*

* HERODOTVS Lib. II. c. 47. PLVTARCHVS de Iſide p. 354. init. AELIANVS de Animal. Lib. X. c. 16.

ſolent. §. 2. Quo magis vero rem hanc cogitationibus reuoluo, eo magis perſuaderi me ſentio, ipſos Aegypti incolas, ſaltem vetuſtiores, non Βατὼ; ſed potius Ματὼ, aut Μαθὼ pronuntiaſſe. Profecto ſi Βατὼ verum nomen ſit, non bene hactenus intelligo, qua ratione, interpretatio eius commoda queat inſtitui, niſi ſit torta vehementer, et coacta. At ſi, quod ſuſpicor, nomen Aegyptiacum vere ſonuerit Ματὼ, vel Μαθὼ, omnia ſponte fluent, ſuppetentque interpretationes plures, eaeque rei, quam exprimere debet nomen, bene prorſus accommodatae. Accedit, quod mihi non parum probabile videatur, PLVTARCHVM re ipſa nomen hoc efferre Μᾶθ: Ait enim in libro *de Iſide*, p. 374. Ἡ δ' Ἶσις ἔστιν ὅτε καὶ Μὰθ προσαγορεύουσι. *Iſidem Aegyptii nonnunquam MVTH appellant.* Atque addit: Σημαίνουσι δὲ τῷ ὀνόματι μητέρα. *Voce illa matrem ſignificant.* Verum iſta de re, quam nunc ſuo loco relinquo, capite proximo nonnulla addam. Iam dudum vero monuerunt * viri docti, literam M, saepe tranſire in B, aut vtramque frequenter inter ſe cõmmutari. Graecos id ipſum in vocibus Aegyptiis nonnunquam pariter feciſſe, exemplo aliquo luculento ** ſupra oſtendi. Eſt vrbs Aegypti celeberrima, Graecis dicta *Sebennytus*, quam incolae omnes hodie *Semanutham*, vel *Samanudam* appellant; in libris vero Coptorum *Somennuthi* nomen illud ſcribitur, idque eſſe vrbis illius nomen genuinum et antiquum, mihi quidem dubio omni carere videtur. Hic igitur in voce Aegyptiaca, literam M, Graeci in B conuerterunt, quod eoſdem in

* Vide IO. PASSERATII librum, rarius tamen obuium, *de litterarum inter ſe cognatione et permutatione*, pag. 18.

** Lib. II. cap. III. §. 4.

in voce *Buto*, vel vti pronuntiandum mihi videtur, *Muto*, etiam factitaſſe coniicio. Poſſet autem Μᾶτώ, vel Μᾶτος, explicari ⲙⲱⲧ-†, *Mo-u-ti*, id eſt ἀντλῶν, vel ἀντλᾶσα, *quae aquam trahit* vel haurit, nempe ex terra, fontibus, et lacubus. Nam †-ⲙⲱⲧ, dicitur ἀντλεῖν, *aquam*, vel humorem quemcunque *haurire* Exodi II. 16. proprie *dare aquam*. Siue autem hic verbum †, *dare*, praeponas, ſiue in fine adiungas, perinde eſt, et vtrumque analogia linguae Aegyptiacae permittit, quemadmodum Latinis, et *dare aquam*, et *aquam dare* recte dicitur. Haec ſignificatio, *Latonae Buticae* Aegyptiorum, id eſt *Lunae* egregiae conuenit. *Luna* enim, ſecundum PLINIVM Lib. II. c. 101. *humorem* terreſtrem *ſoluit* primum ac *trahit*, et eum deinde, quod docebant etiam Aegyptii, in commodum et ſalutem corporum diſpenſat. Et vero, quod ſupra vidimus, §. 10. Buti Luna ex paludibus aquam dulcem trahere credebatur. Ex *Mo-u-ti* Graeci videntur primo feciſſe Μᾶτον, aut Μᾶτώ, et vitiata paulatim pronuntiatione, Βᾶτον, et Βᾶτώ. Poſſis etiam nomen hoc interpretari ⲙⲱⲧ-ⲟⲩⲱⲧϩ, *Mo-u-oth*, quod rem eandem ſignificat. Nam ⲙⲱⲧ eſt *aqua*, et *humor*, ex quo tamen in vocibus compoſitis fit ⲙⲱ, vel ⲙⲟⲩ, aut etiam ⲙⲏ, ⲙⲉ, et ⲙⲓ; quorum omnium exempla non infrequentia, in Coptorum libris occurrunt. ⲟⲩⲱⲧϩ vero eſt ἀντλεῖν, *humorem aqueum extrahere* et *haurire*. Ioh. II. 8. Eſſet igitur ⲙⲱ-ⲟⲩⲱⲧϩ, *Mo-u-oth*, quae *aquam ad ſe trahit*. Graeci id extulerunt *Muto*, vel *Buto*, aut *Mutum*, ſiue *Butum*. Forte etiam in mentem venire poſſet

cuipiam, linguae Copticae perito, vocem illam, quam nunc explicamus, Aegyptiis ſonuiſſe ⲙⲁⲑ-ⲓⲱⲧ†, *Mau-joti*, *Matrem roris*. Nam in hac compoſitione, prior vox, ſignificat *matrem*, eaque frequentiſſime occurrit, poſterior vox *rorem* deſignat. Geneſ. XXVII. 28. Pſalmo CXXXIII. 3. Et hoc de Luna credidiſſe et docuiſſe veteres, monuimus §. 11. Vel ⲙⲁⲍ-ⲓⲱⲧ†, *Mab-joti*, ſignificaret *haurientem*, et *trahentem rorem*, nam ⲙⲁⲍ, etiam Aegyptiorum ſermone dicitur ἀντλεῖν. Geneſ. XXIV. 11. 13. etc. Ioh. II. 9. IV. 7. Verum fateor, interpretationem hanc a voce Aegyptiaca, vti eam Graeci efferunt, recedere aliquanto longius. Quod ad me attinet, libenter illud ⲙⲁⲩ-ⲧⲱⲩⲧⲍ, *attrahentem humorem* reliquis praeferrem. Verum iudicent eruditi. Superſunt aliae praeterea originationes, ſed quarum nonnullae magis ad PLVTARCHI *Muth* ſpectant. Ea de re autem in capite nunc ſecuturo dicemus.

CA-

CAPVT V.

De quibuſdam Iſidis cognominibus, Muth, Athyri, Methuer, Bubaſi.

Tranſitur a Nominibus Iſidis ad eiuſdem cognomina. §. 1. Cognomina Deorum, diſtinguenda ab epithetis, iiſdem tribui ſolitis. §. 2. De *Muth*, Iſidis cognomine, quod explicatur. §. 3. *Athyri* aliud Iſidis cognomen, cuius interpretatio excutitur. §. 4. *Methuer*, Iſidis cognomen tertium, bene a Plutarcho explicatum. §. 5. His iungitur aliud illius cognomen *Bubaſis*. §. 6.

§. 1.

Tranſitur a Nominibus Iſidis, ad illius cognomina.

Numina Aegyptiorum, ad Lunam referri ſolita, aut in quibus Lunae virtutem, poteſtatem, et in terram noſtram beneficia, Gens illa venerata eſt, quorumque in veterum Monumentis mentionem deprehendimus, capitibus antecedentibus pro virili explicuimus. Ex illis perſpici potuit, haec omnia vnum *Iſidis* Numen ac nomen in ſe complecti. *Iſis* namque, quod iam ſemel iterumque monendum nobis fuit, omnia comprehendit, quae in Lunae rationibus ponebantur ab Aegyptiis, aut quae ipſi attribuebantur, etſi tamen diuerſas illius ad terram noſtram relationes, huiuſque aut laetos aut triſtes effectus, ſub diuerſis nominibus populo adorandas et colendas proponerent. Cuius generis Numina ſunt, ominis quidem laeti et exoptati, *Bubaſtis*, et *Buto*, de quibus Libro hoc diximus, et ominis minus auſpicati, *Tithrambo*, de qua Libro hoc agendum nobis pariter fuiſſet, niſi id omne, grauibus de rationibus, Libro I. cap. V. iam occu-

paſſemus. Idem vero, quod hactenus Libro iſto excuſſimus, argumentum, illuſtrant vtique etiam *Iſidis* quaedam cognomina, ab Aegyptiis illi tributa, nam illis poteſtatem ac beneficia Lunae, ex Aegyptiorum ſententia deſignari, cuiuis manifeſtum eſt.

Cognomina Deorum diſtinguenda ab Epithetis, tribui iisdem ſolitis. De cognominibus Deorum Aegyptiorum.

§. 2. Antequam vero cognomina illa Iſidis Aegyptiaca, curatius expendamus, in anteceſſum abs re non erit monere, *cognomina* Deorum, ab *Epithetis* imponi iiſdem ſolitis, vehementer differre. *Epitheta* enim Diis, Poëtae cumprimis; ſed et quiuis pro lubitu tribuere poteſt, et re ipſa tribuit. Sic Iupiter Poëtis dicitur ὑψιβρεμέτης, *altitonans*, νεφεληγερέτης, *nubes cogens*, αἰγίοχος, *ſcuto praeſignis*, Apollinem iidem dicunt ἀργυρότοξον, *argenteum arcum geſtantem*, βαθυχαίτην, *intonſum, comatum*, et *plaga crinitum*, Mineruam Γλαυκῶπιν, *oculis caeſiis praeditam*, σεμνὴν, *venerandam*, παρθένον, *virginem*, et ſic porro. De hiſce epithetis Deorum, non inuenuſte iocatur LVCIANVS * in *Timone*, init. Ζεῦ φίλιε καὶ ξένιε, καὶ ἑταιρεῖε, καὶ ἐφέσιε, καὶ ἀστεροπητὰ, καὶ ὄρκιε, καὶ νεφεληγερέτα, καὶ ἐρίγδουπε· καὶ εἴ τι σὲ ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀπορρῶσι πρὸς τὰ μέτρα, τότε γὰρ αὐτοῖς πολυώνυμος γινόμενος, ὑπερείδεις τὸ πίπτον τοῦ μέτρου, καὶ ἀναπληροῖς τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ. *Iupiter amicitiae ſtator, hoſpitalis, ſodalitie, domeſtice, fulgurator, iuramentorum vindex, nubicoge, grandiſtrepe, et ſi quod aliud tibi cognomen, Poëtae furoris pleni tribuunt, maxime cum in verſu haerent, nam illi nomina multis modis augent, vt tu ruinam metri ipſis fulcias, et hiatus verſuum impleas.* Sunt tamen in his, quae LVCIANVS deridet, non nuda et tantum arbitraria Poëtarum epitheta; verum et genuina Iouis et vera cognomina. *Cognomina* hic

* Opp. Tom. I. p. 57. Ed. Salmur.

hic voco, quae Diis auctoritate publica, et ab omnibus tribuebantur, in Sacris, in precibus, hymnisque solenniter et publice cantari solitis. Cognomina illa Deorum, vt plurimum restricta erant ad certa Templa, in quibus Dii sub cognomine stato et fixo, inuocabantur. Apud Graecos et Romanos, nullum Deo cuicunque dedicabatur Templum, cui non simul certum quoddam et proprium cognomen imponeretur, sub quo peculiariter illic, certis quibusdam et definitis ritibus, religiose colebatur. Argumentum hoc olim quidam SOCRATES persecutus fuerat. Scripserat enim, teste DIOGENE LAERTIO, Lib. II. §. 47. ἐπικλήσεις θεῶν, quod interpretor *de cognominibus Deorum, quibus publice in Sacris inuocantur.* Id enim ἐπίκλησιν Graeci dicunt. Sic PAVSANIAS in *Achaicis* p. 590. de Hercule Burae culto: ἐπίκλησις μὲν καὶ τάτε Βορεικός. *Nam et hic cognomine Buraici colitur.* Idem in Atticis p. 105: Ἀφροδίτη ἔστιν Πρᾶξις ἐπίκλησις. *Veneri illi cognomen est Praxis.* Et centies id apud auctorem eundem legitur. ORPHEVS, siue quisquis auctor est, sic vocem eandem adhibet in isto versu,

* Ἥλιος, ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσιν.

Sol, quem cognomine Bacchi inuocant.

De talibus autem Deorum cognominibus disseruisse SOCRATEM *Coum*, docet *Scholiastes Apollonii* in Lib. I. Argon. v. 66. In loco enim quodam, quem is citat, obseruauerat SOCRATES, Templum apud Dolionas prope Cyzicum, dedicatum *Apollini*, non esse *Apollinis Ecbasii*, nec *Iasonii*, sed *Apollinis* cognomento *Cyziceni.* Talibus cognominibus Dii maiorum gentium honorabantur etiam in Aegypto. *Cnephum*, vel *Cnuphin*, re ipsa cognomen tantum

* Apud MACROBIVM Saturn. Lib. I. cap. XVIII.

fuisse *Vulcani* Aegyptiorum, * alio loco monuimus, etsi *Cnuphis* in Sacris popularibus, Deus haberetur a Vulcano distinctus. Aliud *Vulcani* cognomen apud Aegyptios fuit ** *Camephi*, quasi dicas *Custodem Aegypti*, quo Deum hunc in sacris suis Hymnis inuocasse videntur regionis illius incolae. Talia igitur cognomina habuit etiam *Isis*. Tria commemorat PLVTARCHVS de Isíde p. 374: Ἡ δ' Ἶσις ἔστιν ὅτε μὲν Μὰθ, καὶ πάλιν Ἀθυρὶ, καὶ Μεθύερ, προσαγορευθεῖσι. Σημαίνουσι δὲ τῷ μὲν πρώτῳ τῶν ονομάτων, μητέρα, τῷ δὲ δευτέρῳ οἶκον Ὥρου κόσμιον, —— τὸ δὲ τρίτον σύνθετον ἐστὶν ἔκ τε τοῦ πλήρους καὶ τοῦ αἰτίου. *Isidem nonnunquam MVTH, nonnunquam ATHYRI, aliquando etiam METHVER cognominant. Et prima quidem voce MATREM designant: secunda DOMVM HORI MVNDANAM significant: tertium nomen compositum est ex PLENO, et CAVSALI.* Sed haec paulo distinctius iam, etsi tamen breuiter, euoluenda sunt et explicanda.

De Muth *Isidis cognomine, quod explicatur.*

§. 3. Primum igitur *Isidis* cognomen, quod PLVTARCHVS refert, est Μὰθ, *Muth*, quod ipse interpretatur *matrem*. Et hoc quidem Isidis cognomen SALMASIVS videtur in mente habuisse, vbi scripsit,*** *Aegyptiis* Ἶσι *esse matrem*. Certum est, *Isi* tale quid literaliter non significare. Sed *Muth*, quomodo cognominabatur *Isis*, si vera docet PLVTARCHVS, *matrem* significat. Idque potest esse verum, lingua saltem Aegyptiaca originationi huic non aduersatur. *Matrem* enim Copti, voce perquam ipsis familiari, dicunt ⲙⲁⲑ, *Mau*. Solent vero iidem, voces desinentes in vocali, aut diphthongo, non raro in fine, litera ⲧ augere, qua ratione ex ⲙⲁⲑ, regulariter formatur ⲙⲁⲑⲧ, *Maut*, idque

* Lib. I. cap. IV. §. 7. ** Ibidem §. 9.
*** *de annis Climactericis* p. 567.

idque ſignificat *matrem*. Graeci vocem iſtam extulerunt Μὰϑ, ſiue quod pronuntiatio Aegyptiaca, quae ex noſtra hodierna aeſtimari non debet, non multum huic graecanicae diſſimilis eſſet, ſiue quod euphoniae conſulere vellent. Cur vero *Iſis*, ſiue *Luna*, in ſacris ipſorum Hymnis, appellaretur *mater*, ratio in promtu eſt, eamque ſatis explicuimus, * vbi de *Iſidis* Numine diſſeruimus. Quando vero PLVTARCHVS memoriae prodidit, Aegyptios ** *Lunam*, id eſt Iſidem, *appellaſſe matrem mundi —— eo quod grauida facta a Sole, rurſum ex ſe in aërem emittat ac diſſeminet genitalia principia*, ſuſpicatus aliquando ſum, hoc idem forte deſignari cognomine *Muth*. Sed tum in voce Aegyptiaca, litera ſub finem addenda erit vnica, *O*. Nempe *** 𓏏𓅱𓏏, *tho*, patrio Aegyptiorum ſermone ſignificabat *mundum*. 𓄿𓀀𓄡𓏏𓅱𓏏, *Mau-tho* proinde vere et proprie ſignificabit *matrem mundi*. Potuerunt autem Graeci, in pronuntiatione, vocalem vltimam per aphaereſin abiicere, vocemque hanc contractius efferre Μάϑ. Sed forte Μὰϑ nihil aliud eſt, quam illud ipſum Numen, quod Graeci communius Βατὼ, aut Βᾶτον ſcribunt, et *Latonam* interpretantur. Qua de re coniecturam meam, ſub finem capitis praecedentis ſatis expoſui.

§. 4. Sequitur apud PLVTARCHVM aliud *Iſidis* cognomen, Ἀθυρὶ, *Athyri*, quod ſignificare ait ὄικον Ὥρου κόσμιον, *domum Hori mundanam*. Quoniam vero de hac voce extat obſeruatio viri in his literis longe Principis, MAT. VEYSSIERE LA CROZE, eam non poſſum non hic adſcribere. Ita autem illa ſe habet: † *Conuenit* Ἀθὼρ *cum* Ἀθυρὶ PLVTARCHI

Athyri aliud Iſidis cognomen, cuius interpretatio excutitur.

* Supra cap. I. §. 4. ** de Iſ. et Oſir. p. 368.
*** Vide *Panthei* huius Lib. I. c. IV. §. 6.
† *Theſaurus Epiſtolicus La-Crozianus* T. III. p. 159.

CHI — *vbi haec illius interpretatio additur* οἶκος Ὥρῳ κόσμιος, *quaſi ex* HI, *vel* H, *alia dialecto, in fragmentis a* WILKINSIO *editis, Praefat. Pag.* VII. *et* ⲪD, *vniuerſo,* τῇ οἰκουμένῃ, *in Apocal. cap.* III. v. 10. *et* ⲇⲣⲢ, *rege. Erit igitur haec vox* HⲪⲇⲣⲢ, *eliſo altero* D, *et* ⲇ *ſolo retento, ex illa pronuntiatione, quae* Dⲇ, *inſtar τοῦ* Υ *Graecorum efferre ſolebat, teſte Hellanico, apud Plutarchum, qui Oſirin* Ὑσιρίν *appellabant, ita referens ſe vocem illam a Sacerdotibus Aegypti pronuntiari audiuiſſe* etc. Non facile quis negauerit, interpretationem iſthanc viri doctiſſimi eſſe peringeniosam. Sed plura tamen prohibent, quo minus nunc pedibus in ſententiam eius eam. Nam 1. *domus* Aegyptiis nunquam dicitur H, neque in Dialecto vulgari, ſeu Aegypti inferioris, neque in Dialecto Thebaidis, quae nunc *Sahidica* dicitur. Et hoc vir egregius, poſtquam libros hac dialecto exaratos terere potuit, ſine omni dubio ipſe agnouit. In dialecto vtraque *domus* dicitur HI. Sed hoc tamen interpretationi *La-Crozianae*, fateor, non vehementer obeſſet. Nam I, in HI, praeſertim in voce, ex multis compoſita, pronuntiando abſorberi, aut euphoniae gratia omitti potuit. 2. *Hori* nomen, in lingua Aegyptiorum, non ſonabat *Uro*, aut *Uri*, quod interpretatio haec ſupponit, verum vti * alias probaui, *Or* vel *Ul-er*. Litera R nomen hoc claudebat. Si poſt tantum virum, coniecturam meam proponere fas eſt, vocem Ἀθυρί aut, quemadmodum ſcribere mallem, cum Spiritu aſpero Ἁθυρί, Aegyptiace interpretarer ϪⲀⲦ-ⲇⲎⲢ-HI, *Chat-uër-ei*, quae vox nunc paucis mihi explicanda eſt. Primo igitur ϪⲀ, quod prōprie vi vocis θέσιν, ſeu *poſitionem* ſignificat, veteribus

* Lib. II. cap. IV. §. 2. 13.

teribus Aegyptiis, vſu recepto deſignaſſe *mundum*, poſt * SALMASIVM, ** alias iam probaui. Solent vero Copti, quod monitum videbis §. 3, voces deſinentes in vocali, augere nonnunquam litera ⲧ, quod inprimis in vocibus compoſitis, vbi earum alteram vocalis claudit, alteram vocalis auſpicatur, vſu venit quam ſaepiſſime, ſicut et in ea, cui explicandae operam nunc damus. Eſt igitur ϫⲁⲧ, *mundus*. Nomen vero *Hori*, Aegyptiace, literis Copticis ſcriptum, ſonare ⲇⲱⲏⲣ, *** Libro ſuperiori iam aſſeruimus. ⲏⲓ denique, quod modo nunc monendum nobis erat, *domum* ſignificat. Liquet igitur, ϫⲁⲧ-ⲇⲱⲏⲣ-ⲏⲓ, proprie ſecundum literam ſignificare, *Mundum, Hori domum*, quod Graeci extulerunt Ἁθυρί. Hanc interpretationem et linguae, et Theologiae priſcae Aegyptiorum conſonare, affirmare auſim. Quod ſi autem praeterea perſpectum nobis eſſet, qua occaſione, quaue de cauſa, Aegyptiorum Sacerdotes, in Hymnis ſacris, *Iſidem* cognomine hoc condecorauerint, explanare forte poſſemus, quidnam eo Theologi hi deſignare voluerint. Aſt ex PLVTARCHO diſcere id non licet.

§. 5. Tertium vero is cognomen *Iſidis* hocce addit, Μεθυὲρ, aitque in lingua Aegyptiorum, vocem hanc compoſitam eſſe, ἔκ τε τῦ πλήρες καὶ αἰτίε, *ex PLENO et CAVSALI*, vt nempe ſignificetur ea, quae plena eſt virtutis cauſalis, vel effectricis, vel, in qua eſt inſignis facultas agendi et efficiendi. Et profecto id ipſum plane ſignificat † ⲙⲉϩ-ⲧⲇⲱⲏⲣ, *Meh-tu-er*, ex quo fere coniicere liceret, PLVTARCHVM

Methuer, Iſidis cognomen tertium, bene a Plutarcho explicatum.

* *de lingua Helleniſt.* p. 391. et *de annis Climacter.* p. 567.
** in notis ad Eratoſthenis Catalogum regum Thebaeorum. Vide VIGNOLII Chronolog. To. II. p. 759. 760.
*** Libro II. cap. IV. §. 13.
† Vide ſupra Lib. II. cap. IV. §. 13.

TARCHVM pro μεθυὲρ, quod nunc in eius Codicibus legitur, re ipsa scripsisse μεθυήρ. Verum in efferendis et scribendis nominibus peregrinis, Graecos non semper rigidissimam accurationem seruasse, nouimus. Quamobrem vero *Isis* diceretur *virtutis effectricis plena*, quippe quod cognomen illud significat, ex Doctrina Aegyptiorum de hac Dea, quam Libri huius cap. I. explicuimus, perspici abunde potest. Docebant namque gentis huius Philosophi et Theologi, Isidem esse matrem mundi, corporumque omnium causam, et continuo grauidam factam e Sole, concipere, et rursus ex se emittere ac disseminare genitalia principia. Idque cognomine hoc *Methuer* satis perspicue declaratur. Ceterum quoniam ΘΘΗΡ, est ipsum *Hori* nomen Aegyptiacum, §. 4. posset etiam *Mehtuer* verti, *plena Hori*, vt quae *Hori* esset et mater, et certo quoque sensu nutrix. Sed haec obiter tantum, et velut aliud agendo.

His iungitur aliud illius cognomen, Bubasis, cuius tentatur interpretatio.

§. 6. Cognominibus hisce *Isidis*, a PLVTARCHO commemoratis, subiungo aliud, *Bubasis*, cuius notitiam debeo Auctori *Etymologici magni*. Ita is scribit in voce Βούβαστις· Βούβαστις κώμη τῆς Αἰγύπτου, καὶ θεός· Ὅτι ἡ Ἰὼ, ἡ Ἰνάχου, εἰς βοῦν μεταβληθεῖσα, καὶ μετὰ τὴν διὰ γῆς καὶ θαλάσσης πλάνην, εἰς Αἴγυπτον παραγενομένη, ἐπιβᾶσα τε βροχθώδους τόπου τοῦ Νείλου, τῶν χηλῶν ἴχνη τῷ πηλῷ ἐνεχάραξεν. Ὁ δὲ τῆς χώρας βασιλεὺς, ἑωρακὼς τὸ μὲν τῆς ἐμπροσθίας χηλῆς, τῷ ῑ στοιχείῳ ἐμφερές. τὸ δὲ τῆς ὀπισθίας, τῷ ω̄, Ἰὼ τὴν βοῦν ὠνόμασε. τὴν δὲ κώμην, Βούβαστιν, ἀπὸ τῆς τοῦ βοὸς βάσεως. *Bubasis. Ita in Aegypto dicitur et vicus quidam et Dea. Cum nempe Io, Inachi filia, in vaccam conuersa, et deinceps terra marique multum iactata, in Aegyptum peruenisset, vbi in loco, quem Nilus irrigauerat, subsistit, ac vngularum vestigia limo impressit. Videns vero regionis illius Princeps, vestigium vngulae anterioris, literae*

literae I, *posterioris vero*, *literae* Ω, *similem esse*, *vaccam nominauit* IO, *vicum vero*, *in quo vacca consederat*, *ab ea re appellauit* BVBASIN. Lepidam sane, aut potius anilem fabellam! Sed quae nihilo minus potest aliquid veri abscondere, vti solent omnes Aegyptiorum fabulae allegoricae. Illis tamen hanc accensere non ausim. Quo non obstante, istud mihi pensitatione dignum visum est, quòd *Etymologici* auctor, secutus haud dubie Scriptorem quempiam antiquiorem, perhibuit, esse in Aegypto et vicum, et Deam, nomine *Bubastin*, et quod huic fabulam de Ione in Vaccam commutata accommodet. Nam rei huic ipsa vox Aegyptia *Bubastis*, mirum in modum fauet, quod inprimis mihi persuasit, subesse huic fictioni aliquid saltem veri. Nam ⲡϫⲟ-ⲃⲁⲥⲓ, *P-ho-basi*, plane *vultum*, aut *faciem vaccae* Aegyptiorum sermone significat. Obseruauimus autem * alibi, et res est satis nota, Aegyptios *Isidi* suae, ad imitationem *Lunae*, cornua affinxisse bouina. A vero non abludit, ob hanc rationem Aegyptios *Isidi* aliquod cognomen, hoc significans, indidisse, eoque in Hymnis sacris vsos fuisse, quemadmodum et *Baccho*, cuius capiti pariter Graeci cornua addere saepius solebant, ea de re Ταυρόμορφον cognominatum esse scimus. Haec igitur *Bubastis* Templum habebat in vico, cognomine sibi, dedicatum. Erat, cum existimarem, *Bubastin* illam, cuius meminit *Etymologici* auctor, confundi cum Dea multo notiori, *Bubasti*. Nam nomina haec parum differunt. Sed re accuratius perpensa, sententiam mutaui.

* Libro hoc cap. I. §. 2.

CA-

CAPVT VI.

De Planetarum apud Aegyptios cultu.

Planetas olim Aegyptii ſolenniter coluerunt; ſed is cultus poſtea in deſuetudinem abiit. §. 1. Planetarum nomina antiqua Aegyptiaca, vt plurimum, ignorantur. Id tamen ſcitur, Planetas ab Aegyptiis Diis aliis maioribus attributos fuiſſe. §. 2. Diſquiritur, cuinam ex Diis Aegyptiorum, apud ipſos, Planeta Veneris fuerit attributus. §. 3. Planetis tria apud Aegyptios indita erant nomina, vnum Dei, cui erant attributi, ſecundum poteſtatis, tertium coloris. §. 4. De Colore Planetarum, et nominibus, quae acceperunt ab eo apud Aegyptios. §. 5.

§. 1.

Planetas olim Aegyptii ſolenniter coluerunt; verum cultus ille poſtea in deſuetudinem abiit.

Libro huic *Panthei* noſtri tertio, quo cultum omnem, ab Aegyptiis in honorem *Lunae* inſtitutum, perſequi animus fuit, de Planetis etiam, quoniam admodum pauca nobis ſuppetunt, deque cultu ipſis exhibito, quaedam breuiter ſubnectemus. De *Planetis*, praeter Solem et Lunam, *quinque* reliquis, a Gentibus orbis terrarum propemodum cunctis, interque has, ab Aegyptiis quoque olim religioſe cultis, deque cultus huius in Aegypto origine ac veſtigiis luculentis, multa * in *Prolegomenis* noſtris diſputauimus, quae hic repetere, inutile et prorſus ſuperuacaneum eſſet. Poterit ex iis intelligi, in ipſius idololatriae apud Aegyptios inualeſcentis initiis, Planetis ceu Numinibus magnis

* Vide §. 24 - 27.

magnis et potentibus, ſummos id eſt diuinos honores decretos habitoſque fuiſſe. Etſi enim id * diſerto teſtimonio Scriptoris fidei exploratae, quantum memini, ſaltem de Aegyptiis, probari non poſſit; adſunt tamen rei huius veſtigia complura, neque adeo obſcura, quae vtique dubium omne tollunt. Sed ſatis quoque mature cultus ille, Planetis quinque ſolenniter et publice oblatus, in deſuetudinem abiiſſe videtur. Quo tempore enim Graeci Aegyptum frequentare coeperunt, cultus ille dudum ſublatus iam erat, vnde factum eſt, vt HERODOTVS Sacrorum Aegyptiacorum inueſtigator diligentiſſimus, et alii qui ipſum ſequuntur, rei non

* Niſi forte huc trahere velis iſtos MANETHONIS verſus Lib. I. Apoteleſm. v. 2[illegible].

Ῥίζε Κρόνῳ, καὶ Ἄρῃ, καὶ Ἑρμῇ, καὶ Κυθερείῃ,
Καὶ Διΐ, καὶ Μήνῃ, καὶ ἠελίῳ βασιλῆι.
Οὗτοι γὰρ κρατέουσι θεῶν, κρατέουσι καὶ ἀνδρῶν,
Πόντου καὶ ποταμῶν πάντων ῥοθίων ἀήτων τε,
Καὶ γῆς καρποφόρου καὶ ἠέρος ἀενάοιο.

Sacra fac Saturno, et Marti, et Mercurio et Veneri,
Et Ioui, et Lunae, et Soli regi.
Hi enim dominantur Diis, dominantur et hominibus,
Marique et fluuiis omnibus impetuoſis, ventiſque,
Ac frugiferae terrae et perenni aëri.

Quia verſus hi Sacerdotem Aegyptium magni nominis auctorem habent, pronum erit cogitare, haec e praeceptis Theologiae Aegyptiorum genuinae profluxiſſe, vnde ſequeretur, Planetas omnes VII aequali propemodum honore a cunctis Aegyptiis celebratos ac honoratos fuiſſe. Verum meminerit lector, MANETHONEM haec inculcare cultoribus Aſtrologiae, quos honore peculiari dignatos fuiſſe Planetas, extra dubium poſitum eſt. Deinde nec id diſſimulare poſſum, doctrinam MANETHONIS Apoteleſmaticam, Scholas Graecorum multo magis redolere, quam Adyta Aegyptiorum, et videri, non a Scriptore Aegyptio, verum Graeco potius profectam eſſe.

Digitized by Google

non modo huius mentionem iniiciant prorsus nullam; sed nec aliquid memoriae prodiderint, ex quo coniectando tale quid erui recte possit. Videntur Sacerdotes hunc Planetarum cultum, sibi postmodum solis reseruasse, et scientia de Planetis, quam non indiligenter excoluerunt, ad superstitiones suas genethliacas abusi esse. Plura de hac re, dabunt, vti dixi, *Prolegomena* nostra.

Planetarum antiqua nomina Aegyptiaca, vt plurimum, ignorantur. Idtamen scitur, singulos Planetas, alicui ex Diis maioribus, attributos fuisse.

§. 2. Si nomina, quae primitus Planetis indiderunt Aegyptiorum Maiores, etiamnum supersessent genuina, vti aliorum Deorum nomina, id nos in argumentum hoc, omni qua possumus diligentia inquirentes, non mediocriter adiuuaret; ast, quantum quidem mihi nouisse datum est, nomina haec, priscis Aegyptiis vsitata, non amplius extant; verum alta et aeterna obliuione sepulta iacent, nisi forte excipias vnum ἀρτὴς, vel ἑρτωσὶ, quod nomen illi Planetae, quem nos *Martem* vocamus, Aegyptios imposuisse, testimoniis minime contemnendis nititur. Sed et de ipso hoc nomine dubitare non immerito possis, num sit aeui antiquissimi, aut non potius eo demum tempore excogitatum, quo Sacerdotes omnem de Planetis scientiam, ad artem suam genethliacam restringere coeperunt. Nomen certe Aegyptiacum Planetae *Martis*, virtutem et potestatem, quam ei tribuit Doctrina Genethliaca, aperte prae se fert. Quicquid sit, postquam cultus Planetarum solennis et popularis in Aegypto desiit, Stellas has, aliis Diis maioribus, a quibus veluti gubernarentur, assignare ac attribuere placuit. Docet hoc nos ACHILLES TATIVS, in *Isagoge in Arati Phaenomena*, loco memorabili; sed qui eruditis ignotus non est. Ita autem is habet: * Αἰγυπτίοις γὰρ, καὶ Ἕλλησι, τὸν Κρόνον ὁ ἀστὴρ, καὶ τὸν ἀμαυρότατος ὢν,

* In PETAVII *Vranologio* p. 136.

ὠν, Φαίνων λέγεται. Ἀλλὰ παρ' Ἕλλησι μὲν κατὰ τὸ εὔφημον λέγεται ἄστω· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Νεμέσεως ἀστήρ. Δεύτερος ὁ Διὸς καθ' Ἕλληνας Φαέθων· κατὰ δὲ Αἰγυπτίους Ὀσίριδος ἀστήρ. Τρίτος ὁ τοῦ Ἄρεως, παρὰ μὲν Ἕλλησι πυρόεις· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Ἡρακλέους ἀστήρ. Τέταρτος ὁ τοῦ Ἑρμοῦ — καλεῖται παρὰ μὲν Ἕλλησιν Στίλβων· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Ἀπόλλωνος ἀστήρ. *Aegyptii et Graeci, Saturni Stellam, quamuis hebetissima sit, Φαίνοντα, id est lucidam vocant. Graeci quidem ita boni ominis causa nuncupant. Aegyptii vero Nemeseos Stellam. Secunda Iouis, Phaëthon a Graecis; ab Aegyptiis Osiridis Stella nominatur. Tertia est Martis, quae a Graecis πυρόεις, ab Aegyptiis Herculis Stella dicitur. Quarta Mercurii Stella, quam Graeci* Στίλβοντα, *Aegyptii Apollinis Stellam appellant.* Deest hic nomen Stellae quintae, quae est Veneris, impositum ab Aegyptiis. Graecum quidem nomen auctor noster refert: Πέμπτος ὁ τῆς Ἀφροδίτης, παρὰ μὲν Ἕλλησιν ἑωσφόρος. *Quinta est Veneris, Graecis Lucifer.* Verum nomen, quod Aegyptii eidem indiderant, omissum hic est, non ACHILLIS TATII, vt puto, sed librarii in describendo negligentis, culpa. *Saturnus* igitur Aegyptiis audiebat *Nemeseos*, vel, * quod idem arbitror, *Tithrambonis Stella.* Iisdem *Iupiter* dicebatur *Stella Osiridis.* Vocabant porro *Martem*, *Stellam Herculis:* et *Mercurium*, *Stellam Apollinis*, vel *Hori.* Cuinam vero Numini *Stellam Veneris* dedicauerint Aegyptii, quia id ex testimonio Scriptoris cuiusdam non scimus, coniecturam meam mox proponam. Ex his autem Planetarum denominationibus Aegyptiacis, quaedam ad Chaldaeos etiam, gentesque alias peruenerunt. De

* Vide supra Lib. I. cap. V. §. 4.

De *Martis Planetæ* id infra docebimus §. 4. De *Stellæ Mercurii* ita ſcribit APVLEIVS in libro *de Mundo* p. 58. *Hanc ſequitur Stilbon, cui quidam APOLLINIS, ceteri MERCVRII nomen tribuerunt.* Sic et PLINIVS Lib. II. cap. 8. et MACROBIVS Saturn. Lib. I. c. XIX.

Diſquiritur, cuinam ex Diis Aegyptiorum, apud ipſos Planeta Veneris attributus fuerit.

§. 3. Numen illud, in cuius poteſtate et tutela eſſet *Veneris* Planeta, Aegyptios dixiſſe *Athor*, * nos vterque, B. LA-CROZIVS, et ego, aliquando perſuaſum habuimus, verum neuter ſatis tum fuerat memor eorum, quae ex ACHILLE TATIO hic obſeruauimus §. 2. Ex illis enim luce meridiana clarius pateſcit, Aegyptios Planetis nomina indidiſſe longe alia quam Graecos. Quodnam *Veneri* nomen impoſuerint Aegyptii, ex auctore illo quidem non diſcimus, excidit enim librariorum vitio; verum id tamen affirmare certo poſſumus, Aegyptios Planetam iſtum non retuliſſe ad *Venerem;* verum ad Numen aliquod ſuum ab illa diuerſum. Aliquando in mentem mihi venit, vero valde videri ſimile, Planetam hunc Aegyptios attribuiſſe *Iſidi* ſuae. Vix enim cogitari poteſt, Aegyptios Deae huic, cuius Numen, reliquis Diis Deabuſque fere in vniuerſum omnibus praeponebant, non aliquem ex Planetis aſſignaturos fuiſſe. Id tamen factum fuiſſe oportet, ſi *Veneris* Stella ipſi conſecrata non eſſet. Et praeterea negari non poteſt, magnam fuiſſe Planetae Veneris, cum *Iſide* ſiue *Luna*, ex veterum ſententia, cognationem. Inſigniter ea quae dixi, PLINIVS illuſtrat, qui et teſtari videtur, *Veneris* Planetam *Iſidi* fuiſſe attributum. Verba eius haec leguntur Lib.

* *Theſaurus Epiſtolicus La-Crozianus*, Tom. III. p. 159. et Tom. I. p. 177.

Lib. II. cap. VIII. *Infra Solem ambit ingens SIDVS, appellatum VENERIS, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus aemulum Solis ac Lunae. Praeueniens quippe et ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, vt Sol alter diem maturans: contra ab occasu refulgens, nuncupatur vesper, vt prorogans lucem, vicemque Lunae reddens. —— Iam magnitudine extra cuncta alia Sidera est: claritatis quidem tantae, vt vnius huius Stellae radii vmbrae reddantur. Itaque et in magno nominum ambitu est. Alii enim Iunonis, alii ISIDIS, alii * Matris Deum appellauere. ** Huius natura cuncta generantur in terris. Namque in alterutro exortu, genitali rore conspergens, non terrae modo conceptus implet, verum animantium quoque omnium stimulat.* Si quis haec mente voluens existimauerit, *Veneris* Planetam, Aegyptios dixisse *Stellam Isidis*, is auctoritate PLINII sententiam suam tueri posse videbitur, neque me habebit contra nitentem. Si tamen, quod sentio, dicendum est, crediderim ego potius, Aegyptios Planetam *Veneris* foecundum, attribuisse *Mendeti* suo, siue *Pani*, magno fertilitatis terrestris promo condo, de quo Lib. II. cap. VII. prolixe disseruimus. Obseruaui illic, §. 6, crucem illam celeberrimam ansatam, in vetustis Aegyptiorum Monumentis toties occurrentem, ♀, quae *phallum* designat, *Pani* Mendesio dedicatum fuisse. Et eodem plane signo, *Veneris* Planetam ab antiquis temporibus, in hunc vsque diem significari consueuisse, neminem fugit. Sed iudicent ea de re pro arbitrio lectores.

* PROCLVS in Paraphrasi Tetrabibli Ptolemaei Lib. II. p. 97. fin.

** Vide et IVLIANI Imp. Orat. IV. p. 150.

Planetis apud Aegyptios tria indita erant nomina, vnum Numinis, cui erant attributi, secundum potestatis, tertium coloris.

§. 4. Dudum iam * alicubi obseruaui, quod ex variis indiciis collegeram, Planetae vnicuique apud Aegyptios, tria fuisse nomina, vnum *Numinis*, quod praeesse illi crederetur, alterum *virtutis*, qua inprimis valere existimaretur, tertium *coloris*, qui obseruari in eo poterat. De Numinibus, quae Planetis quinque praeesse existimarentur, et a quibus Aegyptii nomina ipsis indidere, diximus §. 3. Sed habebant Planetae aliud praeterea apud Aegyptios nomen, tractum a virtute illa et potestate, quae ipsis inesse perhibebatur. Illius exemplum habemus in Planeta, quem vulgo *Martis* appellare solent, ** Aegyptii vero *Stellam Herculis*, §. 2. Huic enim aliud praeterea nomen Aegyptiacum tribuitur, significans nempe eius virtutem ac potestatem, quod non vno modo scribi deprehendimus. VETTIVS VALENS, artis Astrologicae magister non infimus, nomen hoc effert Ἄρτης. Verba eius, ex inedito eius *Florilegio*, talia *** a viris eruditis citantur: Τὸν δὲ τῦ Ἄρεως χιῤῥὸν, πυρωτὸς γὰρ καὶ τομὸς καὶ κατεργαστικὸς ὁ θεός. Αἰγύπτιοι γὰρ καὶ Ἄρτην αὐτὸν προσηγόρευσαν, ἐπεὶ τῶν ἀγαθοποιῶν καὶ τῆς ζωῆς παραιρέτης ἐστίν. *Martis vero Stella rubrum habet colorem. Nam facie ignea est Deus hic, estque ipsi vis diffecandi et interficiendi. Ideoque Aegyptii ARTEN ipsum vocarunt, quo-*

* In *Remphab illustrato* p. 44. not. p.

** Ab Aegyptiis nomen hoc peruenit ad Chaldaeos. Nam de illis obseruat MACROBIVS Saturn. Lib. III. cap. XII. *Chaldaei Stellam Herculis vocant, quam reliqui Martis appellant.* Idque ad alias quoque dimanauit gentes, teste PLINIO Lib. II. c. 8. et APVLEIO *de Mundo* p. 58. Ed. Elmenhorstii.

*** SELDENVS *de Diis Syris*, Synt. I. cap. VI. p. 186. SALMASIVS *de annis Climacter.* p. 596.

quoniam Stellarum beneficarum et vitae interuersor eſt. Forte auctor hic reſpexit ad veram ſignificationem vocis Aegyptiacae, quae, vt iam iam videbimus, proprie ſonabat ἐρτωσι, potuitque illius nominis interpretationem haurire ab aliquo linguae Aegyptiacae perito. Vox certe *Ertoſi* talem, qualem dedit VETTIVS, patitur interpretationem. Nam ⲉⲣ, *er*, eſt *facere:* ⲧⲟⲥⲓ vero, *toſi ζημίαν*, *damnum* ſignificat, Actor. XXVII. 10. Philipp. III. 7. 8. Erit igitur ⲉⲣ-ⲧⲟⲥⲓ, *Er-toſi, damnum inferens.* Neque tamen improbauerim obſeruationem * virorum doctiſſimorum, qui exiſtimant, VETTIVM, nomen hoc Ἄρτης, ad linguam graecanicam inflexiſſe, et ex hac interpretatum eſſe ἄρτην, nimirum ab αἴρω, *e medio tollo*, vt ſignificetur *interfector.* Vocem genuinam Aegyptiacam, vt bene ** SALMASIVS animaduertit, conſeruauit nobis CEDRENVS, eamque, me quidem iudice, ſic optime interpretatur: Καλεῖται δὲ Αἰγυπτιστὶ Ἔρτωσι, τοῦτο δὲ σημαίνει παντὸς γένους ζωογονίαν, καὶ πάσης ὑσίας καὶ ὕλης φύσιν καὶ δύναμιν διατακτικὴν καὶ ζωογονικήν. *Stella Martis ab Aegyptiis vocatur ERTOSI: ſignificat autem hoc omnis generis procreationem et viuificationem, omniſque ſubſtantiae et materiae naturam et vim ordinantem atque procreantem.* Nempe ⲉⲣ-ⲧⲱⲙϫ, *Er toſi*, Aegyptiis dicitur τὸ αἴτιον τῆς φυτεύσεως, *vim habens et indens genitiuam ac ſeminalem.* Vox haec *Ertoſi*, et origine, et compoſitione, et ſignificatione vix differt a voce *Mendes*, quam *** ſuo loco prolixe explicuimus. Certe

* SELDENVS et SALMASIVS loc. cit.
** loco iam citato.
*** Libro II. cap. VII. §. 7.

te vtraque vox vi ſua rem eandem plane innuit. Expoſitionem vero hanc noſtram, cum interpretatione quam dedit CEDRENVS, egregie et examuſſim conuenire, cuilibet non poteſt non confeſtim eſſe perſpicuum. Omittere hic iſtud non poſſum, Theologiam Aegyptiorum, de Stella *Martis*, ſiue *Herculis* quam declarat nomen ἔρτωσι, amice omnino conſpirare cum Orientalium aliorum Theologia, quam eximie illuſtrat THO. HYDIVS in libro *de Religione vet. Perſarum* cap. III. vnde ſequentia deſcribere non grauabor, quae leguntur p. 64: *Hoc nomine AZER, vel AZAR, antiquiſſimis temporibus ſignificatus fuit Mars —— et vetuſtiſſimis temporibus ſic dictus fuit Martius Menſis.* Ex dictis vero elucet, haec omnia ſpectare ad *Herculem* Orientalium, de quo nos Lib. II cap. III. diximus, et cui Planeta *Martis* apud illas Gentes ſacer erat. Pergit vero auctor, poſt plura interpoſita, hunc in modum: *A ſignificatione ignis et Martis, factum eſt, vt Martius Menſis, a Marte denominatus. Chaldaeis etiam dictus fuerit* אדר, Adar, *Syris* Odar, *Syro-Arabibus. Syriam habitantibus* Adar, *vel vt Perſae et Turcae ſonant*, Azar. *Is hodie annum ducit apud Syros, vt et olim fecit apud Romanos et Perſas. —— Nam cum ex ignea Stellae Martis influentia et rubedine, (vt credebant,) Annus inciperet caleſcere, anni initium ei dedicabant veteres omnes: atque ideo Romani, ineunte Menſe Martio, ſacrum ſuum Veſtalem ignem de nouo accendebant, cum exeunte vetere anno, cum emori ſiuerant, quod alio quouis tempore feciſſe nefas. Talis nempe ab eis facta eſt alluſio Symbolica, et quaſi Sympathetica, in magis fauſtum futuri Anni omen: vt ſcilicet, cum exeuntis anni calor, a Marte et igne profectus, deficeret, innueretur, ipſummet Numen, (ignem Sacrum)*

id

id perſentiſcere et emori: et vt ineuntis noui anni vernum tempus eo fauſtius procedere poſſet, voluerunt ſignificare, quaſi vna cum ipſo Numine, annus noua calore et vigore impraegnandus eſſet. Quae hic de *Marte*, ſeu *Hercule* Orientalium, obſeruauit vir harum literarum peritiſſimus, ea fere de *Hercule* ſuo Aegyptios tradidiſſe et praedicaſſe, fidem faciunt, quae de hoc Numine ſuo loco ediſſeruimus. Eadem, et forte etiam hac ipſa de cauſa, tribuebant Orientales, et cum illis Aegyptii, *Stellae Herculis*, quam alii *Martis* nuncupabant. Nam ἑρτωσι, quod nomen Stellae huic proprium eſſe voluerunt Aegyptii, id luculenter et aperte teſtatur.

De colore Planetarum et nominibus, quae ab eo acceperunt apud Aegyptios.

§. 5. Quia vero in Planetis diuerſus obſeruatur color, diuerſuſque fulgor oculos noſtros percellit, Aegyptii ab hac coloris diuerſitate, diuerſa quoque ipſis nomina impoſuere. Docet hoc inter alios IVLIVS FIRMICVS, Matheſeos Lib. II. cap. II. vbi de quinque Planetis haec ſcribit: *Has Stellas non eodem nomine, quo nos, aut Graeci, Aegyptii nominant. Nam qui a nobis Saturnus dicitur, ab Aegyptiis Φαίνων vocatur. Quem nos Iouem vocamus, Aegyptii Φαέθοντα vocant: qui a nobis Mars, ab illis πυρόεις dicitur: Quae a nobis Venus, ab illis ΦωτΦόρος vocatur. Quem nos Mercurium dicimus, illi στίλβοντα vocant.* Quae hic vides appellari *nomina Aegyptiaca*, ſunt re ipſa graeca, etſi ab aliis quoque pro Aegyptiacis venditentur. Ipſe ACHILLES TATIVS, §. 2, ad teſtimonium vocatus, ſcribit, *AEGYPTIOS et Graecos Saturni Stellam, quamuis ſit obſcurior, vocare tamen Φαίνοντα, id eſt lucidam.* Ergo, teſte hoc Scriptore, certe non contemnendo, non Graeci modo, verum et Aegyptii, Planetam Saturni vocarunt *Φαίνοντα*.

Ita et vetus auctor * *de dierum ad numerum et nomina Planetarum inſtitutis appellationibus*: Τὴν δὲ τρίτην ἡμέραν αἰγύπτιοι ἀνέθεντο πυρόεντι, ἄρης δὲ ὅτος παρ' Ἕλλησι. *Diem* hebdomadis *tertiam Aegyptii conſecrarunt Pyroënti, is vero eſt qui a Graecis* Ἄρης, *vel* Mars, *vocatur.* Et tamen nomina haec, quae Aegyptiis tribuuntur, re ipſa pura putaque Graeca ſunt, et ** a Graecis quoque paſſim adhibentur, vt genti ſuae propria. Dicere poſſes, nomina haec vocari Aegyptiaca, cum tamen ſint graeca, eo quod Alexandrinis, quorum vrbs ſita erat in Aegypto; ſed qui lingua, moribus, et ſtudiis vere erant Graeci, deberentur, iiſque quodammodo propria eſſent. Verum obſtat, quod nominibus his vſus iam fuiſſe deprehendatur ARISTOTELES, in *libro de Mundo*, tanquam vſu communi receptis, quae igitur Graecis ante Philoſophi huius aetatem, ideoque ante Alexandriam conditam, familiaria fuiſſe oportet. Iure ergo colligere nobis integrum erit, nomina illa vocari Aegyptiaca, cum tamen re ipſa ſint graeca, quoniam rem ab Aegyptiis acceperunt Graeci, eamque vocabulis graecis; ſed quae Aegyptiacis reſponderent, plane expreſſerint. Neque ita difficile eſſet, dummodo operae pretium ferret, voces genuinas vereque Aegyptiacas formare, quae denominationibus graecis, ab Aegyptiorum maioribus acceptis, ex aſſe reſponderent. Sed cum labor fructum non promittat, niſi oppido leuem

* Apud SALMASIVM de Annis Climact. p. 595. 596.

** ACHILLES TATIVS allatus §. 2. CENSORINVS *de die natali* cap. XIII. APVLEIVS *de Mundo* p. 58. CHALCIDIVS in Timaeum Platonis p. 309, et his omnibus multo antiquior, ARISTOTELES in libro *de Mundo* cap. 11.

uem ac exiguum, manum ab eo abſtinere malui. Suſpicatus * aliquando ſum, pertinere huc Numen celebratiſſimum *Anubis*, quem Graeci ſolent *Mercurium* interpretari. De eo accipiebam, quod CICERO memoriae prodidit, *de Nat. Deor.* Lib. III. cap. 22. *Quartus* Mercurius *Nilo patre, quem Aegyptii nefas habent nominare.* Quibus gemina ſunt, quae leguntur apud ARNOBIVM *aduerſus gentes* Lib. IV. p. 135. *Quartus* Mercurius *Soboles Nili eſt, cuius nomen Aegyptia gens horret et reuereretur expromere.* Id non videbatur mihi intelligi poſſe de illo Aegyptiorum *Mercurio*, quem vocant *Thot*. Nam illum vtique nominarunt, eſtque hoc nomen eius multo celeberrimum, et tot antiquioribus Graecis notum iam dictumque. Et praeterea CICERO ipſe Mercurium illum, *quem Aegyptii nefas habent nominare*, diſerte diſtinguit a *Mercurio Thot*, de quo paulo poſt diſſerit. Ergo videbatur id non applicari poſſe, niſi ad *Anubim*. Illius verum et genuinum nomen hactenus ignotum eſſe autumabam, nam *Anubis* videbatur nomen tantum eſſe coloris. Et *Anubis* certe, Coptice ſcriptum ⲁⲛⲟⲩⲃ, *Annub*, vere Aegyptiis *aureum* ſonat, ſuntque plurima quae inuicte docent, hanc eſſe veram nominis illius originationem. Dicitur porro *Planeta Mercurii* a MANETHONE, Apoteleſm. Lib. II. v. 191. et 383. Χρυσοφαὴς Ἑρμῆς, *Mercurius adſpectu aureus*, vel *coloris aurei*. Ita pluſa concurrere videbantur, quae coniecturam hanc ſtabilirent. Verum diſſimulare nolo, me nunc, vbi rem hanc ab omni parte verſaui ac diligenter excuſſi, coniecturae priſtinae non potuiſſe non renuntiare. Rationes, quae me ad mutandum ſen-

 ten-

* in *Remphab illuſtrato* p. 44. in not.

tentiam adegerunt, vbi ad *Anubidem* peruenerimus, Lectoris iudicio ſubmittam. Ceterum Planetis ſingulis, tria Aegyptios impoſuiſſe nomina, exemplo *Martis*, ad oculum demonſtrari poteſt. Ille namque Planeta, a Numine, in cuius eum tutela eſſe volebant, Aegyptiis, vt credere par eſt, dicebatur ΠCIDϑ ΙΝΧΩΙΙ, *Stella Herculis*, §. 2, a virtute et poteſtate, quam demonſtrare credebatur, ΕΡ-ΤΩΙΧΙ, §. 4, et denique a colore, quem referre videtur, πυρόεις, *igneus*, quod hoc §. ſumus perſecuti. Aegyptii dixiſſent Ν-ΧΡΩΙΙ, aut vocem adhibuiſſent aequiualentem. Haec ſunt, quae de Planetis eorumque cultu, ex Aegyptiorum placitis dicenda putaui.

DE

DE DIIS AEGYPTIORVM

LIBER IV.

Qui eſt

De Nilo Flumine, Aegyptiorum Deo, et Symbolicis Numinibus ad Nilum relatis.

CAPVT I.

De Nilo Flumine ab Aegyptiis inter Deos ſuos culto.

Nilus inter Numina maxima ab Aegyptiis colebatur, cuius cultus cauſa paucis indicatur. §. 1. Primum Nili in Aegypto nomen fuit *Ieor*, vel *Iaro*, idque *fluuium* deſignat. §. 2. Idem fluuius ab Aethiopibus vocabatur *Siris*, ab Aegyptiis vero *Nilus*. §. 3. *Siris* Aethiopum, et *Schichor* Hebraeorum, non ſunt idem nomen; ſed inter ſe differunt. §. 4. Neque etiam *Siris* et *Oſiris* Aegyptiis idem ſignificabant. §. 5. Nomen *Siris*, ex vetuſta Aegyptiorum lingua explicatur. §. 6. Fluuii Aegyptiorum nomen proprium, genuinum et antiquiſſimum fuit, eſtque *Nilus*. §. 7. Nomen illud ex Aegyptiorum ſermone explicatur. §. 8. Nomen, quod Nilo olim etiam ſolebat indi, *Phruron*, explicatur. §. 9. De originibus Nili in Aethiopia, ne nunc quidem ſatis recte cognitis et perſpectis. §. 10. De fluuii eiuſdem incremento et decremento annuo. §. 11. Aquae Niloticae magna dulcedo et ſalubritas. §. 12. Mira etiam foecun-

foecunditas et olim et nunc celebrata. §. 13. Propter has rationes Aegyptii Nilum diuinis affecerunt honoribus. §. 14. Eidemque Templa et Sacerdotes consecrarunt. §. 15. Atque in eius honorem festa solennia celebrarunt. §. 16. De imaginibus Nili olim in Aegypto vsitatis. §. 17.

§. 1.

Nilus inter Numina Aegyptiorum maxima locum habebat, diuinisque ab illis colebatur honoribus.

A clarissimis Mundi Sideribus, Sole et Luna, quae totus fere quaquauersum terrarum Orbis, sed peruersus iam, et a vera Dei cognitione, veraque pietate iam repulsus, loco et vice Dei, religione summa celebrauit et coluit, transimus nunc ad Numen Aegypto penitus proprium et peculiare, fluuium nempe illius regionis maximum celeberrimumque, *Nilum*, quem merito dicere possumus Aegyptiorum veterum *Osiridem terrestrem*, cui tanquam bonorum omnium, quibus fruerentur, auctori et datori supplicabant accolae superstitiosi, non secus atque Ioui suo Graeci Romanique, Mithrae, qui Persiam habitabant, gentesque aliae summis suis principibusque Numinibus. Hinc est, quod * Poëta illustrem hunc fluuium sic alloquitur:

Nile pater, quanam possum te dicere causa
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.
Te canit atque suum pubes miratur Osirin
Barbara, Memphiten plangere docta bouem.

Quin imo ** *nihil Aegyptiis tanto erat in honore, tamque religiose colebatur, atque Nilus,* *** *ad quem Solen-*

* PROPERTIVS Lib. I. Eleg. VIII.
** PLVTARCHVS de Iside et Osir. p. 353.
*** ARISTIDES Rhetor, in Aegyptio p. 93. b. Edit. graec. Florent.

Solennitates eorum ſacrae tantum non omnes ſpectabant. Etiam Graeci veteres, fluuios regionum ſuarum praeſtantiores, diuinis afficiebant honoribus, quod * Scriptores antiqui toties teſtantur, et Nummi populorum et vrbium, qui adhuc ſuperſunt, innumeri loquuntur. Verum ſi iſthanc ſpectes ſuperſtitionem, ſane Aegyptii, et horum aemuli, Indi, notiſſimi Gangis fluuii cultores, reliquas Gentes omnes, immane quantum ſuperarunt. Coluerunt autem Aegyptii *Nilum* ** propter ſummam, quam ab eo expectabant, et reipſa etiam percipiebant, vtilitatem. Huic enim fluuio, fertilitas et felicitas omnis, de qua beata ipſorum religio gloriari poterat, vnice debetur. Negari quidem non poteſt, in cultu Aegyptiorum populari, Deos principes et longe maximos, ſemper habitos fuiſſe, *Oſiridem* ſiue *Solem*, ac *Iſidem*, ſiue *Lunam*. Verum vti magnis his Numinibus, *Nili* ſui exiſtentiam, incrementa, et mirabiles viciſſitudines, *** quod in ſuperioribus plus ſemel indicaui, in acceptis ferebant, ita etiam Numina illa praecipue propter *Nilum*, et cum reſpectu ad eum, tanta veneratione, tamque impenſo cultu dignabantur. *Sol* et *Luna*, ex Aegyptiorum ſententia, admirabilem fertilitatis vim communicabant, tempore debito, cum *Nilo*, et fluuius hic principia fertilitatis in ſe coelitus collata, in campos agroſque Aegyptiorum liberaliter effundebat. Quoniam igitur Aegyptii, in praeſentia vitae huius commoda et bona vnice intenti, experi-

* MAXIMVS TYRIVS, Diſſert. XXXVIII. poſt init. Adde GERH. IO. VOSSII de origine Idol. Lib. II. cap. 79. et SPANHEMII notas in Callimach. p. 117.

** MAXIMVS TYRIVS Diſſert. XXXVIII. poſt init. IVLIVS FIRMICVS de error. profan. relig. poſt init.

*** Lib. II. cap. I. §. 4. Lib. III. cap. I. §. 5.

perientia magiſtra didicerant, ingentem illam terrae ſuae bonitatem ac fertilitatem, fluuio huic immediate et proxime deberi, idcirco hunc, ceu verum felicitatis ſuae auctorem, continuis precibus laudibuſque concelebrabant, et vt Deorum praeſentiſſimum, ſolennitatibus, ritibuſque permultis religioſis, per totum annum aſſidue venerabantur. Sed non abs re erit, ea quae ad Theologiam Aegyptiorum de Nilo ſpectant, paulo vberius et diſtincte magis perſequi.

Primum Nilo in Aegypto nomen fuit Ieor, *vel* Iaro, *idque* fluuium *deſignat.*

§. 2. Et hic quidem ante omnia, de flumiuis huius Aegyptiis omnibus ſanctiſſimi vero patrioque nomine diſſerendum mihi eſſe arbitror. In Scriptura vocatur יְאֹר, *Ieor*, quod fluuium interpretantur, aut vt alii malunt, *fluuii riuum.* Geneſ. XLI. 1. 2. 3. 17. 18. Exodi I. 22. II. 3. 5. et pluribus aliis in locis. Ezech. XXIX. 3. Rex Aegypti introducitur, arroganti hac oratione vſus: ואני יארי לי עשיתני. *Meus eſt* (Ieor) *fluuius, egoque feci mihi.* Hebraeorum magiſtri, et qui in intima linguae hebraicae perrumpere ſatagunt, animaduertentes, lingua populi Dei, proprie et communiter נהר, *nahar*, dici *fluuium*, exiſtimant, per יאר, non tam deſignari *fluuium* in vniuerſum ſpectatum, et totum, quam potius eius tantum *riuos* et *brachia.* Cenſent porro iidem, *Nilum* Aegypti fluuium, ea de cauſa ſaepius dici יאר, quod ope foſſarum, manu humana factarum, fluuius ille per Aegyptum totam, quaquauerſum ſe diffundat. Verum obſeruatio haec, nonniſi aliquam veritatis ſpeciem prae ſe fert, cum ſoliditate deſtituta ſit. Nam Amoſi VIII. 8. יאר מצרים, *fluuius Aegypti*, totum ſane ſignificat *Nilum.* Vera rei illius ratio, quod pro נהר, nonnunquam inueniatur יאר, haec eſt, quam etiam interpretes Hebraei obſeruant, et res ipſa abunde loquitur, quod Scriptores Sacri, voce יאר, *Nilum*, et hunc tantum, deſignare voluerint.

luerint. Eſt igitur vocabulum hoc *Nilo* proprium et peculiare, nam eſt origine Aegyptium. Aegyptii ad deſignandum *fluuium*, vocem aliam non adhibent, quam ⲓⲁⲣⲟ, *Iaro*. Sic Geneſ. XLI. 1. 2. &c. vbi in graeco eſt ποταμὸς, *fluuius*, Coptus interpres habet ⲓⲁⲣⲟ, et cum nota generis maſculini ⲡⲓⲁⲣⲟ, et ſic aliis in locis ſemper. Quoniam vero Scriptores Sacri gentis Hebraicae, vbi de *Nilo* loquuntur, et nonniſi de fluuio hoc agentes, voce יאר vtuntur, idque nomen fluuio iſti proprium deprehenditur, plus quam probabile eſt, ipſos Aegypti incolas, maximum illum et vnicum regionis ſuae fluuium, in communi ſermonis vſu, non alio nomine, quam ⲓⲁⲣⲟ, quod *fluuium* diximus ſignificare, ſolitos fuiſſe inſignire. Sicuti nempe Italis *vrbs* ſemper *Romam*, Ἄστυ vero Graecis ſemper *Athenas* ſignificabat, ita temporibus antiquiſſimis, Aegyptii per ⲓⲁⲣⲟ, *fluuium* per excellentiam, nonniſi *Nilum* innuiſſe videntur. Hanc auguror eſſe rationem, cur HOMERVS, vbi fluuii huius meminit, nunquam verum eius nomen adferat, quod forte ignorabat, cum Aegyptii tantum ⲓⲁⲣⲟ, *fluuium* ſuum creparent, verum * perpetuo eum Αἴγυπτον nuncupet, quaſi dixiſſet *fluuium Aegypti*, quomodo Hebraei etiam loqui amabant. Amoſ. VIII. 8. Fuit igitur hoc primum fluuio illi nomen in Aegypto, etſi nominis iſtius, ſi a Scriptis Hebraeorum Sacris receſſeris, veſtigia nunc, a me obſeruata, nulla in memoriam reuocare poſſim. Neque tamen dubito, quin ipſum hocce nomen Aegyptiis, poſtquam illic radices egit idololatria, perquam venerabile extiterit, et Sacroſanctum.

§. 3.

* Odyſſ. Δ. 477. 483. Ξ. 258. 427.

Fluuius idem postea ab Aethiopibus Siris, *ab Aegypti vero incolis* Nilus *cognominatus fuit.*

§. 3. Transeo nunc breuitatis causa alia plura nomina et cognomina, quae, si vetustis nonnullis Scriptoribus fides adhiberi potest, *Nilo* olim adhaeserunt. Ego enim illa non pro nominibus propriis, aut cognominibus, vsu publico constanti et perpetuo receptis, habeo; sed pro epithetis tantum, quibus eum aut Poëtae, aut Scriptores alii, aut etiam fluuii huius accolae indigenae, ornare nonnunquam, pro re nata, soliti sunt. Ne res haec, quam sine detrimento causae meae omittere licet, et mea et lectorum meorum tempora nimium moretur, pergere malo ad nomina fluuio nostro ab accolis imposita, omnibus nota et vsitata, sermonibus quoque veterum non parum celebrata, quaeque Scriptoribus etiam sacris non indicta existimantur, *Sirin* scilicet et *Nilum*. Incipio a *Siri*; quoniam istud fluuio Aegypti, prope illius fontes, dum adhuc Aethiopum agros peruagatur, priusquam fines Aegypti attingat, nomen ab antiquo impositum fuisse deprehendo. Testatur hoc DIONYSIVS *Periegetes*, in Poëmate laudatissimo v. 221.

Ἔνθεν πιοτάτοιο κατέρχεται ὕδατα Νείλου
Ὃς δήτοι Λιβύηθεν ἐπ' ἀντολίην πολὺς ἕρπων,
Σῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται. Οἱ δὲ Συήνης
Ἐναέται στρεφθέντι μετ' ὄνομα Νεῖλον ἔθεντο.

Quae sic versibus reddidit Festus AVIENVS v. 334.

Eminus euoluunt hinc sese pinguia Nili
Flumina, et intenti prolabitur aequoris vnda.
Hic qua secretis incidit flexibus agros,
Aethiopum in lingua Siris cluit: vtque Syene
Caerulus accedens diti loca flumine adulat,
Nomine se claro Nilum trahit, inque iacentem
Aegyptum fusus fluctu premit arua marito.

Et

Et PRISCIANVS v. 210:

Hinc fluuii pinguis deſcendunt flumina Nili
Partibus a Libycis, qui currens Solis ad ortus,
Siris ab Aethiopum populis cognomine fertur:
Verſum cultores Nilum dixere Syenes.

Hi omnes igitur teſtantur, Nilum fluuium, in Aethiopia, dum illam peragrat, et ab illius regionis incolis vocari *Sirin;* eundem vero, vbi Syenen attigit, et ad fines Aegypti peruenit, nomen iam multo clarius atque celebrius *Nili* conſequi. Confirmat id Poëtae huius Commentator graecus, EVSTATHIVS, in Scholiis ad verſus allatos. Neque etiam rei huius, in deſcriptione Aegypti oblitus eſt PLINIVS Lib. V. cap. IX. vbi haec habet: *Nec ante Nilus, quam ſe totum aquis concordibus rurſus iunxit,* (quod fit in regno *Nubiae ſupra Syenen,*) *ſic quoque etiamnum Siris, vt ante nominatus per aliquot millia.* Similia de hoc fluuio notat SOLINVS in Polyhiſt. cap. 32: *Demum a cataracte vltima* (vbi incipit Aegyptus) *tutus eſt. Ita enim quaedam clauſtra eius Aegyptii nuncupant. Relicto tamen hoc priore ſuo nomine, quo Siris vocatur, mox inoffenſus meat.* Et ibidem aliquam multis interiectis: *Ditionis Aegyptiacae eſſe incipit a Syene, in qua fines Aethiopum, et inde vſque dum mari intimatur, Nili nomen tenet.* Igitur ſimul atque Aegypti fines ingreſſus eſt *Nilus*, hoc nomine compellatur ab Aegyptiis omnibus, priori illo iam Aethiopibus relicto. Denique et haec STEPHANI Ethnicographi verba adducere iuuabit: Συήνη πόλις Αἰγύπτου καὶ Αἰθιοπίας ἐπὶ τῷ Νείλῳ. Μεθ' ἣν ὀνόμασται Σίρις ὁ ποταμός. *Syene vrbs, quae Aegyptum ab Aethiopia diſterminat, ſita ad Nilum. Supra hanc vrbem vero, in Aethiopia, fluuius ille Siris nuncupatur.* Tanta conſenſione veteres omnes

vnanimiter tradunt, magnum Aegypti fluuium, ab Aethiopibus vocari *Sirin*, vbi vero arua *Syenes*, primae in Aegypto vrbis attigit, mutato iam nomine, ab Aegyptiis dici *Nilum*. Et profecto, antequam frequentiora Graeci cum Aegyptiis commercia inſtituiſſent, et hac occaſione, nomen *Siris*, fluuio *Nilo* ab Aethiopibus tribui ſolitum, Graecis innotuiſſet, nomen illud auditum aut cognitum fuiſſe non deprehendimus. Nemo hactenus in medium adferri potuit, qui ante *Plinii*, et *Dionyſii Periegetae* aetatem, *Siris* Aethiopici mentionem fecerit.

Siris Aethiopum, et Schichor Hebraeorum, idem nomen non ſunt; ſed ea inter ſe differunt.

§. 4. De hoc igitur *Nili* fluuii nomine, quo non Aegyptios; ſed Aethiopes tantum vſos eſſe clare liquet, plura non dicerem, niſi me virorum doctiſſimorum coniecturae, quibus magnam veroſimilitudinis ſpeciem conciliant, ad id compellerent. Sunt autem viri eruditionis laude illuſtres, qui iam dudum ſibi aliiſque perſuaſerunt, שיחור, *Schichor*, vel *Sichor*, fluuium in Scriptura memoratum, eſſe *Nilum* Aegypti, quippe qui etiam *Siris* ab incolis fuerit dictus, quod Hebraei *Sichor*, vel *Sior* extulerint. Et ego quoque olim, tantorum virorum nominibus et exiſtimatione inductus, inque ipſorum auctoritate paulo ſecurius requieſcens, * ſententiam hanc meam feci. Verum poſtea quam argumentum hoc omni mentis niſu et contentione accuratius explorandum ſumſi, poſtquam omnia, quae cogitationibus meis ſe offerebant, ſeria aeſtimatione librau i, priſtinam ſententiam neceſſario mihi deſerendam eſſe, intellexi. Quorſum enim quaeſo, Scriptores ſacri, ex vltima Aethiopia, nomen fluuii acceſſerent, in ipſa Aegypto pleriſque, nedum gentibus

* in notis ad *Eratoſthenis Catalogum regum Thebaeorum*. Vide *la Chronologie* de Mr. DES VIGNOLES, To. II. p. 765.

bus aliis, plane ignotum et inauditum? inprimis cum ſuppeterent genuina fluminis illius nomina Aegyptiaca, nota omnibus, quibus Nilus ipſe ignotus non erat. Et an non illi nomen vere Aegyptiacum יאר, *Ieor*, de quo §. 2, adhibere ſolent, vbi de Aegypto indubitate loqui deprehenduntur? Adduci ergo, vt credam, minime poſſum, Hebraeorum *Schichor* exprimere Aethiopicum *Siris*; vero potius ſimillimum mihi videtur, *Schichor* illud eſſe nomen ex Hebraeorum lingua petitum, quod illi inter ſuos, aut Nilo in vniuerſum, aut alicui eius alueo indiderant, quodque ipſis Aegypti incolis potuit eſſe ignotum. Hebraeos namque habuiſſe nomina regionum et fluuiorum, ſibi plane propria et peculiaria, multo notius eſt, quam vt longa probatione egeat. Terram Aegypti, * quam incolae ipſi ſermone auito ſemper appellarunt *Chemi*, vel *Chami*, Graeci Αἴγυπτον, Hebraei a primis inde temporibus vocarunt, vocantque hodie, *Mitſraim*. Et ſic, ne nimius hic ſim, in aliis. Alueos porro Nili fluuii diuerſos, habuiſſe etiam diuerſas propriaſque ſuas denominationes, ex *Geographia* PTOLEMAEI, gente Aegyptii, plus ſatis conſtat. Etenim vnus ex fluuii illius alueis, dicebatur *Agathodaemon*, alius *Taly*, alius *Thermuthis*, aut *Thermuthicus*, alii habebant cognomen aliud. Exiſtimo igitur, Hebraeos voce ex propria lingua depromta, et ſuis familiari, ac peculiari, vel fluuium totum, vel, quod verosimilius eſt, aliquem illius alueum, a nigredine appellaſſe שיחור, *Schichor*. Non diſplicent verba viri de omni literarum genere praeclare meriti, GERH. IO. VOSSII, in hunc ſenſum ſcribentis: ** שיחור

* Vide *Panthei* huius Lib. I. cap. IV. §. 9. et Lib. II. cap. II. §. 10.

** De origine Idolol. Lib. II. cap. 74. p. 346.

ad verbum ſonat nigrum. —— *Eſt vero Nilus turbidus et ſubfuſcus, ac nigricans: puta ob limum, quem aduehit ſecum, ex partibus ruens auſtrinis. Altera quoque nominis eius ratio eſt. Nam terram humectans, eam reddit nigram:* — *Sed, vt Geneſ.* XV. 18. *per* Nachal Mitzraim, *ita et Ioſuae* XIII. 3. *per* Schichor, *non Nilus integer capiendus; verum illud brachiolum Nili, quod alias* torrens deſerti *vocatur Amoſ.* VI. 14. —— *Quemadmodum vero Nilus Hebraeis ob nigricantes aquas, et quia terram humectando reddit nigram,* Sichor, *ſiue* Sior, *hoc eſt* niger *dictus eſt: ita et Graecis eadem de cauſa vocatus eſt* Μέλας, *Plutarcho et Euſtathio teſtibus, indeque et veteribus Latinis* Melo *appellatus.* Et viri huius praeſtantiſſimi ſententiam eruditi plurimi alii, non immerito amplectuntur.

Siris et Oſiris vnum idemque Aegyptiis minime ſignificabant.

§. 5. Qui *Schichor* Hebraeorum eundem volunt eſſe cum *Siri* Aethiopico, aut qui cenſent, *Nilum* Hebraeis ideo dici *Schichor*, quia eundem indigenae aut Aethiopes *Sirin* nuncupabant, cum hac ſententia aliam ſolent coniungere, quae inprimis ad hoc noſtrum *Pantheon* ſpectat, nomen videlicet *Siris* fluuii, et *Oſiris* Dei, eſſe vnum tantum idemque, eaque inter ſe nomniſi eo differre, quod in priori, O, per aphaereſin abiectum ſit. SCALIGERVM et SELDENVM, ſententiae huius ſtatores et fautores, * alio loco iam adduximus. Et quis numeret eruditos omnes, pedibus in eorum ſententiam euntes? Vnius tantum VOSSII verba huc tranſcribam, qui iis, quae attulimus §. 4, iſta mox ſubiungit: *Ex quibus etiam cognoſcere licet, cur Aegyptii, Plutarcho teſte, Oſirin effingant nigrum. Nempe nigrum colorem Nili attenderunt. Et quid ſi dicamus, ipſum nomen* Oſiris *eſſe ex* Schichor, *ſiue, vt*

* Lib. II. cap. I. §. 4.

vt mollius pronuntiant, Sior? *Nam* Sior *traiectis literis fit* Osir, *vnde terminatione graecanica ac Romana* Osiris *emergit.* Paulo aliter vir optimus rem aggreditur, quam alii, quos antea nominaui; sed rei tamen summa semper eadem manente. Nempe traiectio literarum ipsi subsidio venit. Et quid non, beneficio felicis et foecundi huius inuenti, viri eruditi praestant? Haec sane efficit, vt ex quolibet quidlibet nullo negotio exculpere, et imperitis fucum facere possint. Verum profecto, vt quod res est dicam, duo haec nomina, *Sirin* et *Osiris*, nullam inter se, nisi in solo literarum sono, affinitatem habent, neque rem eandem significare possunt, quod mihi non inuiti largientur, qui et linguae, et Antiquitatum Aegypti, idoneam sibi notitiam comparaverunt. Non magis voces illae Aegyptiacae sese contingunt, aut aliquam significationis cognationem probant, quam in Latinorum lingua, *lacerna* et *lucerna*, *olla* et *abolla*, *bolus* et *obolus*, *aceruus* et *ceruus*, *lego* et *ligo*, et infinita huius generis alia. Originationes eiuscemodi, nisi aliunde, ac inprimis aut ex re ipsa, aut ex indole et vsu linguae certo stabiliantur, nil sunt, nisi meri putique ingenii lusus, specie aliqua acuminis minus exercitatos ludificantes; sed omni soliditate vacui. Fluuium Aethiopes dixerunt non *Osirin*; sed *Sirin*: viciſſim Numen suum Aegyptii nunquam *Sirin*, semper tantum *Osirin*. Duae hae voces toto coelo a se inuicem sensu et significatione distant: altera Aethiopibus tantum, altera vero Aegyptiis in vsu fuit. Neque etiam cognationis huius inter Aethiopicum *Sirin*, et Aegyptium *Osirin*, in tota Antiquitate, vel vola extat, vel vestigium. Nam quod quidam *Sirium*, Astrum caniculae, in subsidium vocant, in eo penitus frustra sunt. *Sirin*, vt saepe diximus, est vox *Aethiopica*; at *Sirius*, nec Aethiopica, nec Aegyptiaca;

ptiaca; ſed *graeca.* Aegyptii ſermone ſuo vernaculo *Sirium* dixere *Sothin*, quod Libro III. cap. II. prolixe explicuimus. Oſtendimus et ibidem, ſidus illud non *Oſiridis* fuiſſe; verum *Iſidis.* Non negamus tamen, *Nilum* in Sacris nonnunquam *Oſiridis* nomine compellatum fuiſſe; ſed id tamen ideo factum non eſt, quod *Nilus* ipſe cenſeretur habereturque *Oſiris*, verum quod fluuium hunc Aegyptii celebrarent venerarenturque, * tanquam praeſtantiſſimum *Oſiridis* effluxum, ac maxime ſalutarem effectum.

Nomen Siris ex lingua vetuſta Aegyptiorum tentatur et explicatur.

§. 6. Quandoquidem aſſerui, ex teſtimonio veterum omnium, nomen *Siris*, *Nilo* impoſitum, ex Aethiopum lingua arceſſendum eſſe, dubius mecum anceps que haereo, auſimne illius originationem lectori ex lingua Aegypriorum petitam offerre. Nam tractu temporis, linguam Aegyptiacam, ab Aethiopum Habeſſinorum lingua euaſiſſe penitus, diuerſam, in dubium vocari nequit. Sed aliter omnino res ſe habuit, in primis Aegypti habitari coeptae Seculis. Nam *Aethiopes*, non minus quam *Aegyptios*, ex *Miſraimo*, Noachi nepote, deſcendiſſe, ex Tabulis Scripturae S. diſcimus. Fuit ergo primitus vna tantum duarum gentium lingua. Et non parum etiam probabile eſt, amicitiae commercia diu inter gentem vtramque viguiſſe, ex quo factum videtur, vt linguae, Aethiopes inter et Aegyptios, diu quoque ſeruata fuerit communio. Certe Sacrorum quorundam communionem ſatis arctam inter eos duraſſe vſque ad tempora Chriſtianiſmi in Aegypto dominantis, ** alibi monuimus. Rei ipſi igitur non repugnat, originem nominis *Siris*, Aethiopibus de Nilo loquentibus vſitati, inueniri etiam in Aegy-

* Vide *Panthei* noſtri Lib. II. cap. I. §. 4.
** Lib. II. cap. II. §. 4.

Aegyptiorum lingua. Verum originatio illa talis vtique indolis esse debebit, vt Aethiopum regioni cumprimis conueniat. Nam his vocis illius vsus frequentior, si non vnicus debetur. Venit igitur mihi aliquando in mentem, posse nomen hoc deriuari a voce *Sari*, quae in Aegyptiorum dialecto reperitur, et cuius etiam antiqui meminerunt. Est autem aliqua *iunci* species, olim in Aegypto sic nominata. De ea THEOPHRASTVS, histor. Plantar. Lib. IV. cap. IX. vbi *Papyrum*, idque, *quod vocant SARI*, coniungit. De *Sari* vero sigillatim, ibidem haec addit: *SARI in aqua prouenit, circa paludes, inque campis, quos Nilus recedens deliquit*, quam postea pluribus describit, et cum celeberrima *papyro*, in quibusdam confert. De eadem *Sari* ista leguntur apud PLINIVM Lib. XIII. cap. 23. *Fruticosi generis est et SARI, circa Nilum nascens, duorum fere cubitorum altitudine, pollicari crassitudine, coma papyri, similique manditur modo.* Ab eadem * Copti Sinum maris Arabici, quem vulgo *mare rubrum* vocant, dixerunt ⲫⲓⲇⲁⲗ ⲓⲱⲱⲣⲓ, *Mare Sari*, id est *iunceum*, quemadmodum Hebraei, ab Aegyptiis edocti, mare idem simili nomine יַם סוּף, *mare iunceum* appellant. Nam mare hoc magna *iunci*, siue *Sareos* copia abundat. Quemadmodum vero mare illud, a *iunco*, et apud Aegyptios, et apud Hebraeos, nomen traxisse certum est, ita, cum eadem plane hic suppetat ratio, fluuius Nilus dici pariter potuit ⲓⲁⲣⲟ ⲓⲱⲱⲣⲓ, *fluuius iunceus*, vel contractius ⲱⲱⲣⲓ, *iunceus*, fluuium subintelligendo. Nam et in eo magna reperitur *iunci* copia. Ipse IESAIAS Sacer Vates, eo nos ducit, in cuius *vaticiniorum* cap. XIX. 6. legimus:

* Videri potest Dissert. V. *de Terra Gosen* §. 10.

Et repellentur fluuii, attenuabuntur, et exſiccabuntur riui Aegypti. arundo et alga languebunt. Vbi in hebraeo eſt סוף, a quo Sinus Arabicus, Hebraeis *Mare Suph* dicitur, ſicuti Aegyptiis idem, *Mare Sari* audit. *Suph* ergo, ſiue *Sari*, nam voces hae idem ſignificant, tam in mari rubro, quam in fluuio Aegypti creſcebat. et ab eo tam fluuius, quam mare denominari potuit. Hinc de *Nilo* BACCHYLIDES canit:

* Τὴν ἀχείμαντόν τε Μέμφιν, καὶ δονακώδεα Νεῖλον.

Tranquillam Memphim, frondoſum et arundine Nilum.

Similiterque OVIDIVS Metamorph. Lib. XV. 753.

Perque papyriferi ſeptemflua flumina Nili.

MELA Lib. III. cap. IX. de *Nigro* fluuio, quem cum *Nilo* confert, et ex quo Nilum originem ducere, cum aliis veterum nugatur: *Alit papyrum*, vbi iuuabit inſpicere notas IS. VOSSII, qui epigramma adducit Poëtae Anonymi, *budam*, ſeu *papyrum* dicentis *Niliacam*. Sic et PLINIVS Lib. V. cap 8: *Nigro fluuio eadem natura, quae Nilo, calamum et papyrum, et eaſdem gignit animantes.* Eo vtique reſpexiſſe videtur AESCHYLVS, qui Nilum e montibus Byblinis deducit, in *Prometheo vincto*, v. 810:

— ἔνθα βυβλίνων ὀρῶν ἀπὸ
Ἴησι σεπτὸν Νεῖλος εὔποτον ῥέος.

— *vbi de montibus Byblinis*
Nilus effundit fluxum venerandum potu iucundum.

vbi Scholiaſtes obſeruat, montes *Byblinos* ſic dici, ἀπὸ τῆς γινομένης παρ' αὐτοῖς βύβλου, *eo quod illic byblus*

* Apud ATHENAEVM Lib. I. p. 29.

byblus (vel papyrus) *creſcat.* Neque id plane inuita rei veritate dixit. Teſtantur enim Aethiopes indigenae,* ** *eo tempore, quo imbres continui ac vehementiſſimi. totam Aethiopiam inundant,* ** *in lacubus, quos innumeri aquarum torrentes, in campis regnum Nubiae ab Aethiopia ſegregantibus, conficiunt, iuncos et arundines tanta excreſcere copia, tantaque altitudine, vt vbi etiam Sol loca illa omnia iam exſiccauit, viae tamen, quae ab vna regia vrbe ad alteram ducunt, tranſiri non magis poſſint, quam durantibus continuis illis et copioſis pluuiis, quae produxerunt arundines.* Ex illis vero aquarum torrentibus, qui totas iunci et arundinum ſyluas progignunt, in Aethiopia ſucceſſiue formatur *Nilus*, qui proinde vere ⲥⲁⲣⲓ, *Sari*, id eſt *iunceus* dici poterat. Sed iudicent ea de re eruditi. Eſt enim mea tantum coniectura, quam lectoris cordati iudicio libens ſubmitto.

§. 7. Verum propriumque fluminis Aegyptii nomen, quod FESTVS AVIENVS *clarum* vocat, quia omnium gentium ſermonibus celebrabatur, eſt *Nilus.* Oſtendimus namque §. 3, veteres omnes, vbi hac de re loquuntur, vno ore teſtari, magnum fluuium Aegypti, inter Aethiopes *Sirin* nuncupari, ſed poſtquam fines Aegypti ingreſſus eſt, a regionis iſtius incolis celebre notumque omnibus *Nili* nomen accipere. Equidem et id magna ſua probabilitate non carere diximus §. 2, inter Aegyptios ipſos, fluuium hunc primitus, non aliud habuiſſe nomen, quam ⲓⲁⲣⲟ, id eſt *fluuii* per excellentiam, quia

Fluuii Aegyptii nomen proprium et auitum fuit eſtque Nilus.

* Vide *la Deſcription de l' Egypte* par Mr. MAILLET Part. I. p. 63.

** Similia retulerunt, quos Nero Caeſar in Aethiopiam miſerat, ad inueſtigandum caput Nili, teſte SENECA, Natur. Quaeſt. Lib. VI. c. 8.

incolae nullum, nisi vnum hunc fluuium, totam suam regionem liberaliter inundantem, nouerant, vnde consequitur, aliquo demum tempore post, nomini huic generaliori, successisse specialius *Nili*. Quo tempore vsus communior nominis *Nili* praeualuerit, non ita facile definire et certo constituere licebit. Primus Graecorum, qui nomen fluuii huius proprium commemorauerit, est HESIODVS, illius enim in *Theogonia* v. 337 hi extant versus:

Τηθὺς δ' Ὠκεανῷ ποταμὸς τέκε δινήεντας,
Νεῖλον τ' Ἀλφειόν τε, καὶ Ἠριδανὸν βαθυδίνην.
Thetys autem Oceano flumina peperit vorticosa,
Nilumque, Alpheumque, et Eridanum, profundos
vortices habentem.

Ex quo * vetus Grammaticus colligit, Hesiodum aetate iuniorem esse Homero, cum hic *Nili* nomen videatur ignorasse, ideoque fluuium hunc *Aegyptum* semper appellauerit, ille vero *Nilum* vero nomine designauerit. Et ab eo tempore Graeci omnes, tum qui Aegyptum ipsi adiere, tum etiam reliqui, vbi de fluuio illo loquuntur, non alio vtuntur, quam *Nili* nomine. Cum vero certum sit, Scriptores Graecos, quando fluuiorum peregrinorum, *Euphratis*, *Tigris*, *Araxis*, *Phasis*, *Iordanis*, *Indi* et *Gangis*, aliorumque mentionem faciunt, nomina ista, quibus in Orientis regionibus ab incolis in hodiernum vsque diem insigniuntur, adhibuisse, eaque tantum ad orthographiam graecanicam nonnihil inflexisse, quis dubitet, quin etiam verum patriumque *Nili* nomen retinuerint, literisque prodiderint? Et sunt etiam multi eorum, qui Aegyptum totam peragrarunt, et de rebus memoratu dignioribus cunctis sollicite et curiose percontati sunt, Herodo-

* *Scholiastes Hesiodi* vetus ad locum citat. P. CXXXVIII. Edit. Venetae Trincauelli.

rodotus, Diodorus Siculus, Strabo, Ariſtides Rhetor, et inſuper alii, qui tamen aliud, quam *Nili* nomen non audiuerunt, idque in Scriptis ſuis nobis reliquerunt. Accedit, quod etiam reliquorum Orientalium, Iudaeorum, Arabum, Perſarum, et vno verbo omnium libri, flumen Aegypti, nomine *Nili*, nulloque alio, ſemper deſignent. Videntur Aegyptii, poſtquam arma extra Patriae fines protulerunt, cumque aliis gentibus commercia colere coeperunt, eoque aliorum illuſtrium et magnorum fluuiorum notitiam adepti ſunt, ſuo, vt eum ab aliis tanto melius diſtinguerent, *Nili* nomen impoſuiſſe.

Nili nomen ex antiquo Aegyptiorum ſermone exponitur.

§. 8. Sunt viri doctrina excellentes, multiſque in meliores literas meritis ornati, qui origines nominis *Nili*, in hebraico נחל, *Nachal*, quo nonnunquam ſiue *Nilus* integer, ſiue aliquis illius alueolus, in Scriptura deſignari ſolet, vnice quaeri debere arbitrantur. Et rebus iuſtum ſuum pretium ponere edocti vtique non eſſemus, ſi inficiaremur, opinionem hanc eſſe ingenioſam, ac inſignem blandientemque veri ſpeciem lectoribus offerre. Quid enim, inficiaſne quiſquam iuerit, nomen נחל, in Scriptura adhiberi, vbi de *Nilo* eſt ſermo? Et an non, vbi hoc certum eſt, prono alueo ſequitur, a נחל, *Nachal*, formatam eſſe vocem *Nili*, aut ſaltem Hebraeos nomen hoc נחל efferre? Trahunt huc etiam illa POMPONII MELAE Lib. III. c. IX. *In horum* (Heſperiorum) *finibus fons eſt, quem Nili eſſe, aliqua credibile eſt. Nuchul ab incolis dicitur.* Ad quem locum ex *Anonymo*, qui ſolet *Aethico* ſubiungi, haec laudat IS. VOSSIVS: *Fontem Barbari Dara nominant, ceteri vero accolae Nuchul vocant.* Verum *Nuchul* ille a Geographis locatur in Mauritania, longiſſime a fontibus et fluentis *Nili*, etſi veteres quidam, decepti forte etiam nomine *Nuchul*, in illa regione fontes Nili quaerendos eſſe, nugarentur.

tur. *Nuchul* igitur ad *Nilum* re ipsa nulla plane ratione spectat. Sunt duo hi fluuii diuersissimi. Et praeterea ex veterum vnanimi testimonio nouimus, *Nilum* nomine hoc non insignitum fuisse, nisi postquam relictis Aethiopum finibus, prope Syenen, Aegyptum iam ingressus esset. Quod si vero etiam debita aestimatione pensitemus, quod viri docti, inque originibus linguae hebraicae eruendis magna cum laude versati, nos docuerunt, נחל proprie significare *torrentem*, rapido cursu inter montes decurrentem, et tempore hyemali largis pluuiis auctum quidem; sed aestate plerumque exsiccatum, liquebit facile, nomen hoc נחל, *Nilo* nulla ratione competere posse, vt qui non torrentibus hybernis; sed maximis totius Orbis fluminibus iure suo annumeretur. Mihi igitur meditate haec consideranti, dubium superesse nullum potest, vocem נחל, non secus atque שיחור, linguae Hebraeorum propriam, et ab his tantum adhibitam esse, cum res ipsa aperte loquatur, *Nili* nomen, fluuio huic sanctissimo, a Sacerdotibus impositum, ex eorum lingua depromtum esse, et nonnisi ex hac explicari debere. Haec quoque ratio effecit, vt interpretationibus nominis eiusdem graecanicis, quae nos nulla ex parte iuuant, hic inhaerere superuacaneum duxerim. Vt vero nunc etiam aliquam nominis *Nili*, ex Aegyptiorum lingua interpretationem Lectori offeram, candide profitebor, mihi iam dudum talem suspicionem obortam esse, nomen illud Aegyptiacum, literis Copticis scriptum, sonare ⲛⲓⲉⲓ-ⲁⲗⲏⲓ, *Nei-ale-i*, quod paucis explicare mihi iam incumbit. Et primo quidem, quod * alio loco iam monui, ⲛⲓⲉⲓ, Aegyptiis dicitur *definire*, *ordinare*, *determinare*. Spe-

* Lib. I. cap. III. §. 13.

Speciatim vero ⲚⲈⲒ, et cum nota generis foeminini ⲧⲚⲈⲒ, eſt προθεσμία, *tempus praeſtitutum* et *certo definitum*. Gal. IV. 2. ⲁⲗⲎⲒ vero, vox oppido frequenter occurrens, ſignificat *adſcendere*. Ioh. VI. 17. 24. Actor. XXI. 2. Inde igitur enaſcitur compoſitum ⲚⲈⲒ-ⲁⲗⲎⲒ, μετὰ προθεσμίας ἀναβαίνων, *certo et determinato tempore adſcendens*. Priorem Syllabam accurate expreſſerunt Graeci, qui fluuium ſemper nominant Νεῖλον, *Nei lum*, poſteriorem terminationem ſic ſatis ſeruat *Nei leus*, rex * veteribus non indictus, a quo ſecundum nonnullorum traditionem, quam fabuloſam iudico, fluuius nomen acceperit. Neque vero mirum cuiquam videbitur, Aegyptios ſacroſancto huic ſuo fluuio, nomen id impoſuiſſe a beneficio maximo ac praeſtantiſſimo, quod ab eo ſperabant quotannis votiſque enixis petebant, vt certo definito tempore, in agros ſuos adſcendens, ſolita eos fertilitate impleret ac bearet. Tantum hoc ſemper fuit Aegyptiis, eſtque etiamnum hodie beneficium, vt quando iam tempus illius praeſtitutum imminet, adeſtque, ** conceptis precibus, in *Liturgiis* ſuis, id a diuina benignitate efflagitent. Idemque hoc Nili ingens beneficium, veteres perſaepe commemorant, laudibuſque ornant. Inter eos eſt ACHILLES TATIVS, cuius verba e Libro IV. Eroticôn, p. 247. quia nunc dicta egregie roborant, non abs re erit adſcribere: Κάθηται δὲ αὐτὸς αἰγύπτιος, ἀναμένων καὶ ἀριθμῶν αὐτῷ τὰς ἡμέρας, καὶ ὁ Νεῖλος οὐ ψεύδεται, ἀλλ' ἔστιν ποταμὸς μετὰ προθεσμίας τὸν χρόνον τηρῶν, καὶ τὸ ὕδωρ μετρῶν. *Nili vero adven-*

* DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 56 fin.
** Vide *Miſcellanea Berolinenſia* To. VII. p. 431. 434.

uentum Aegyptii cupide expectant, ac numerant dies. Ille ad PRAESTITVTVM TEMPVS se sistens, aquasque dimetiens, minime committit, vt tarditatis accusari possit. Consimiliter ARISTIDES *Rhetor*, miratur, * *τὴν περὶ τὴν ἀνάβασιν αὐτῶ τάξιν, ORDINEM certum et CONSTITVTVM TEMPORIS, quem Nilus in adscendendo seruat*, et quod *ἄυξεται τακτὰ, CERTO TEMPORIS ORDINE incrementa capiat.* Eundem ad modum HELIODORVS Aethiop. Lib. IX. p. 423. Ed. Bourdelot. Nilum laudibus euehit, tanquam *εἰς ἔτος ἀεὶ τεταγμένως τὴν ἀρωμένην ἐπομβρίζοντα, qui quotannis ordine et TEMPORE CERTO arua imbris instar irriget.* Nec minus appositе EVSTATHIVS ad Dionysium Periegeten v. 222 obseruat: *Εἱρμῶ τινι καὶ τάξει φέρεται, καὶ ὰ παραπροθεσμεῖ τὴν ἀνάβασιν. Διὸ κ τῆ αὐτῶ ὑπερβάσει Φασὶ μετρεῖσθαι παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις τὸν ἐνιαυτόν. Nilus serie quadam et DETERMINATO ORDINE fertur, et TEMPVS incremento suo PRAESTITVTVM nunquam praetergreditur. Eaque de causa Aegyptii ad incrementa huius fluuii computationem anni sui attemperant.* Refert mox auctor ille eorum opinionem, qui fluuium Aegypti dictum esse Νεῖλος censerent, eo quod literae nomen hoc constituentes, numeros conficerent 365, quot nempe annus dies habet. Verum hae sunt Graecorum inanes argutiae, quibus literae auitae Aegyptiacae nominis huius minime respondent, et de quibus Aegyptii prisci, qui alium habebant literarum et ordinem et valorem numericum, cogitare omnino non potuerunt. Iis quae attuli, vnicum hunc ALCIMI AVITI locum addo, ex *Poëmat.* Lib. I. v. 264. de *Nilo:*

Cuius

* In *Aegyptio* fol. 96. a. Edit. Graec.

Cuius in Aegyptum lenis perlabitur vnda
Ditatura ſuam CERTO ſub TEMPORE terram.

Id plane eſt ΝΕΙ-ΛΟΣ, quod Graeci auditum ab Aegyptiis, primo *Neileum*, deinde vero contracius *Neilum*, vel *Nilum* extulerunt.

§. 9. Supereſt aliud etiam *Nili* nomen Aegyptiacum, quod ex ERATOSTHENIS *Catalogo regum Thebaeorum* Aegypti depromo. In eo enim num. XXXVII. haec occurrunt: Θηβαίων ἐβασίλευσεν Φρουρῶν, ἤτοι Νεῖλος: *Thebaeorum rex trigeſimus ſeptimus fuit Phruron, id vero ſignificat Nilum.* Conſtans autem eſt Catalogi illius mos, vt primo ponatur regis cuiuſque nomen Aegyptiacum, et deinde eius interpretatio graeca addatur. Itaque *Phruron* Aegyptiis idem ſignificat, quod Graecis *Nilus.* Ante complures annos, ad locum illum haec me commentatum eſſe memini: * „Quomodo vero „*Phrurôn* poterit eſſe *Nilus?* Forte hic latet no„men illius fluuii, quo ab Aethiopibus praecipue, „et incolis Aegypti ſuperioris appellari conſueuerat, „*Siris* nempe, vel *Suris*, aut *Soris* &c. Singulare „literarum decus, LA CROZIVS exiſtimat, nomen „hoc latere in Menſe Aegyptiorum *Meſori*, quod „ipſe interpretatur *plenum Nilum*, et iſthanc inter„pretationem adſtruit Epigrammate, quod extat in „*Anthologia* Graecorum Lib. I. cap. XCI. n. I:

Nomen, quod Nilo etiam nonnunquam indebatur, Phruron, *explicatur.*

Καὶ Μεσορὶ Νείλοιο φέρει φυτίζοον ὕδωρ.
Et Meſori Nili fert almam aquam.

„Cui addi poteſt Epigramma XII. eiuſdem capitis, „in quo Poëta de *Auguſto* Menſe, qui cum *Meſori* „congruit, ita canit:

Τὰ

* in Chronologia B. ALPHONSI DES VIGNOLES, To. II. p. 764. 765.

— — Τὰ δ' ἐμὰ πτέρα Νεῖλον ἀγερέει
— — *Alae meae* (id est venti) *Nilum colligunt.*

Putabam nempe, in Catalogo illo Φρυρῶν, vt euphoniae consuleretur, scriptum fuisse pro Φσυρῶν. Συρῶν vero, *Suronem*, esse illud nomen *Nili*, quod communius efferri solet *Siris*. Existimabam quoque, *Sirin* fluuium nomine hoc, non ab Aethiopibus solum; verum et incolis Aegypti superioris insignitum fuisse. Verum enim vero, cum id vnanimi testimonio veterum omnium contradicere sentiam, §. 3, malo nunc explicationem proferre, magis vt spero placituram, et ab omni parte difficultatis minus habentem. Autumo igitur, Φρυρῶν nomen fuisse *Nili*, quo eum Aegyptii in Sacris illo compellabant tempore, quo agris iam decedebat, illiusque aqua sensim quotidie deficiebat. Hoc enim sane Φρυρῶν Aegyptiis innuit. חרבה, *Hhrur*, vocem Aegyptii vsurpant de aquis subsidentibus, deficientibus, et cessantibus, sicuti de aquis diluuii, iam decrescentibus adhibetur, Gen. VIII. 1. 7, et de aquarum impetu cessante. Ps. LXXXIX. 9. neque minus de re quacunque desinente, vti Numer XI. 2. (vbi verba ותחר-חרבה האש נשרפו, vertenda sunt, *cessauit ignis*,) et XVI. 48. Si voci huic addas notam generis masculini, habebis פ-חרבה, quod Graeci aliter exprimere non possunt, quam Φρύρ, et si denique adiicias terminationem graecam, enascetur Φρυρῶν, quod in Catalogo ERATOSTHENIS legimus. *Nilus* proprie dicebatur hicce fluuius ab *adscensu*, quando se in agros effundebat. *Phruron* a *descensu*, quando eosdem derelinquebat. Sed videtur nomen hoc posterius nonnisi in Sacris quibusdam adhibitum, auditumque fuisse. Illud tamen regi Thebaeo, forte tempore

pore Nili ex agris Aegyptiorum descendentis nato, imponere placuit. Symbolum huius *Phruronis*, siue *Nili descendentis* cernitur in *Tabula Bembina*, prope finem Segmenti secundi, in Figura GG. Editionis Amstelaedam. Exhibetur illic *rana loto flori insidens*. Nam * *lotus* proueniebat in campis vliginosis Aegypti inferioris, postquam Nilus illis iam decesserat. Et eodem tempore, ** ex limo adhuc semihumido, progigni ranas existimabant Aegyptii. Et memorabile omnino est, quod cum ϚρDϬρ, vti obseruauimus, Aegyptiis dicatur *aqua subsidens*, ac sensim deficiens, iidem ranam vocarint ϰρDϬρ, quae fere vox eadem est, et nonnisi adspiratione a priori differt. Sed hac de re forte aliquando plura ad *Tabulam Bembinam*.

§. 10. De *Nilo* Fluuio tot mirabilia commemorantur non a veteribus tantum; sed et a recentioribus, vt mirum minime sit, quod Aegyptii, ad cultum creaturarum procliues, etiam hunc suum fluuium diuinis fuerint dignati honoribus. Origines eius eruditi olim inter arcana Naturae retulerunt, etsi illas Sacerdotibus Aegyptiis non penitus ignotas fuisse, asseuerare ausim. Quicquid vero praeter hos, veteres reliqui de fontibus *Nili*, et originibus scriptum reliquerunt, adeo nihil solidum continet, adeo ab omni veritate remotum est, vt consultius duxerim, id omne hic omittere. Seculo superiori et hoc nostro, firmiter crediderunt viri docti, origines has, tandem a Lusitanis in Habessiniae Regnum delatis, certo detectas, nostrisque hominibus aeque cogni-

De originibus Nili in Aethiopia, quae ne nunc quidem, satis cognitae ac perspectae dici possunt.

* Vide supra Lib. II. cap. VI. §. 9.

** OVIDIVS Metam. Lib. I. v. 422. collat. cum Lib. XV. 37[illegible] Adde HORAPOLLINEM *Hieroglyph.* Lib. I. cap. 25.

cognitas nunc esse, atque fontes Rheni, Danubii, Rhodani, et reliquorum in Europa nostra fluuiorum, vulgi notitiae etiam patent. Extat de originibus *Nili*, relatio PETRI PAIS Lusitani, e Soc. Iesu, qui fontes, vnde fluuius hicce prorumpit, oculis suis se spectasse, testatus est. Eam ex Schedis huius Loyolitae manu exaratis descripsit, ac ex sermone Lusitanico in Latinum versam, exhibet KIRCHERVS in *Oedipo Aegyptiaco*, To. I. p. 57. 58. Eandem in pauciora verba contractam dedit IOBVS LVDOLFFVS Hist. Aethiop. Lib. I. cap. VIII. eaque ita se habet: *In regno Goiam, et quidem parte eius occidentali, in Prouincia, quae vocatur Sabala, cuius incolae dicuntur Agous,* * *reperiri dicit duos rotundos fontes valde profundos, in editiore loco; humo circum tremula et paludosa; aquam tamen ibi non redundare, sed in montis radice exitum habere. Primum ergo riuum, ad ictum bombardae, Orientem versus fluere, mox in Septentrionem flexum, quarta leucae parte, alium riuum accedere: paulo post duos alios, ex Oriente venientes, se illi iungere, mox aliis superuenientibus augeri. Post diuturni itineris spatium, Iemam fluuium recipit Deinde versus Occidentem, viginti quinque leucas flexus, Orientem repetit, atque lacum ingentem ingreditur.* Quibus vir praestantissimus haec subiungit: *Ista et sequentia non discrepant ab iis, quae Gregorius*, natione Habessinus, *differuit, alia duntaxat regionum nomina protulit, quae forte sunt specialissima illorum locorum, cum* Sabalae *nomen sit generalius. Nam vt ille mihi narrauit, scaturigo eius est in terra quadam Secut dicta, in summitate Denglae, quod forte montis nomen*

* His non dissimilia narrarunt, quos Nero Imperator in Aethiopiam misit, ad inuestigandum caput Nili, apud SENECAM Natur. Quaest. Lib. VI. c. 8.

nomen eſt. Fuerunt tamen * viri doctiſſimi, qui pro eo quo pollebant ingenii acumine, ex indiciis quibuſdam ſuſpicati ſunt, Luſitanos talia narrando, oſtentationi magis quam veritati litaſſe. Et ſane ea, quae hac de re, ex relatione Aethiopis cuiuſdam, narrat ** BENEDICTVS MAILLETVS, Conſulatu Nationis Gallicae, per annos plus quam ſedecim in Aegypto functus, inuicte docent, myſterium illud naturae, ne nunc quidem plene detectum eſſe, et tempore pluuiarum in Aethiopia, centum propemodum torrentes, ex continuis imbribus ortos, aut vehementer inflatos, ſic ad formandum Nili fluuium concurrere, vt quiſnam ſit illius verus ac genuinus fons, oſtendi nulla ratione queat.

De fluui eiuſdem incremento et decremento annuo.

§. 11. Incrementa inclyti huius fluuii, quae in Aegypto quotannis ſtato ac determinato tempore incipiunt, deinde per menſes aliquot continuantur, ac tandem certo quoque vt plurimum tempore decreſcunt, admirationi omnium, materiam praebuerunt non minus foecundam. Norunt omnes, qui ſua id intereſſe putant, *** mirabilia illa Nili incrementa, initium ſumere Menſibus Aprili et Maio, ſed ita, vt vix a quoquam percipi queant. Circa tempus Solſtitii aeſtiui eadem omnibus magis iam conſpicua euadunt, ſemperque procedunt vſque ad Septembrem exeuntem. Circa initia Nouembris, agri quos fluuius hucuſque inudauerat, denudantur, et poſt aliquot dierum hebdomadas, recte et cum ſucceſſu conſeri poſſunt. Fluuius vero recedendo ſemper decreſcit, donec fere noui incrementi tem-

* LA CROZE *hiſtoire du Chriſtianiſme d' Ethiopie p. 69. 70. etc.*

** *Deſcription de l' Egypte*, Part. I. p. 48. 49. 50. etc. Edit. minoris.

*** MAILLET, vbi ſupra, Lettre II.

pus prope adſit. Et in his fluuii admirabilis, tum incrementis, tum decrementis, quae ſe tempore ordineque certo ſemper excipiunt, ſpem fiduciamque omnem ponunt Aegyptii, et ex eorum modo ac ratione, proſperitatem vniuſcuiuſque anni, a primis inde Seculis, in hunc vſque diem metiri ſolent. De cauſis incrementi, quouis anno redeuntis, ordinemque ſtatutum continuo ſeruantis, vehementer diſſenſerunt inter ſe veteres, qua de re plura non addo. Hodie rerum huiuſcemodi auido nemini obſcurum eſſe poteſt, in Habeſſinorum vaſto Imperio, a Martio menſe vſque ad Septembrem, cadere continuos ac largos valde imbres, qui incremento Niliaco materiam ſubminiſtrant: hos vero imbres e nubibus produci, quas ventus Septentrionalis, in Aegypto tempore hoc plerumque ſpirans, ſecum vehit, et in Habeſſiniam protrudit, vbi tandem in imbres, Nilum augentes, reſoluuntur. Hanc veram incrementi Niliaci cauſam, Sacerdotibus Aegyptiis incognitam minime fuiſſe, et ex horum narrationibus, Graecis quoque, certe peritioribus, innotuiſſe, ſatis intelligi poterit ex Lib. III. cap. I. §. 6.

Aqua Nilotica a dulcedine et ſalubritate ſemper non parum commendari conſueuit.

§. 12. Magnae ſunt *Nili* virtutes, et prae aliis fluminibus praerogatiuae. Inter quas non poſtremo loco ponenda ſumma eius dulcedo et ſalubritas. Quod ad dulcedinem *Nili* attinet, illa iam olim non parum celebris fuit, et * a multis vehementer commendata. Vnde SENECA *Quaeſtion. Natur.* Lib. IV. cap. 2. hanc quaeſtionem proponit: *Quare Nilus dulcis eſt, ſi illi e mari vnda eſt? Nec enim vlli flumini*

* THEOPHRASTVS apud ATHENAEVM Lib. II. p. 41. fin. DIODORVS Lib. I. p. 38. ARISTIDES Rhetor in Aegyptio, fol. 96. b. HELIODORVS Aethiop. Lib. II. p. 110.

flumini dulcior guſtus. De Peſcennio Nigro narrant, quod, * *cum apud Aegyptum, ab eo limitanei milites vinum peterent, reſponderit*, Nilum habetis et vinum quaeritis? *ſiquidem tanta illius fluminis dulcedo, vt accolae vina non quaerant.* Et profecto dulcedine illius adeo capiebatur Ptolemaeus Philadelphus, rex Aegypti, ** *vt cum filiam Berenicen, Antiocho regi Syriae nuptum dediſſet, mittendam poſtea ad ipſam Nili aquam ſedulo curauerit, quo illam ſolam bibere poſſet.* Et antehac etiam, *** *ad Perſarum reges, Nili aquam, et ſalem Ammoniacum, ex Aegypto mitti oportebat.* Factum hinc, vt † *ſoli fere Aegyptii, lagenas aqua Niliaca, ſicut alii vino, ſollicite implerent, eaſque per plures annos reconditas ſeruarent, ac, ſicut nos vinum, a vetuſtate commendarent.* Neque aliter iudicant hodieque, quibus datum eſt, delicioſas Nili aquas in Aegypto degustare, quod praeter alios plurimos, teſtatur †† MAILLETVS, qui per longam annorum ſeriem, felicitate hac frui potuit. Conſtat equidem, Nili aquam limum ſecum vehere, ex Aethiopum terris, eoque eſſe turbidam et faeculentam, quod ſane ad bibendum non pellicit. Verum huic malo ſatis mature Aegyptii medelam pararunt, ††† vaſa fictilia ex terra poroſa conficientes, ſubtilibus foraminibus inſtructa, per quae aqua Nilotica percolata, eximie pura reddebatur. Et hoc ipſo remedio, cuius

* SPARTIANVS in eius vita, cap. 7. To. I. Scriptorum Hiſt. Aug. p. 663.

** POLYBIVS apud ATHENAEVM Lib. II. p. 45.

*** DINON in hiſtoria Perſica, apud eundem p. 67.

† ARISTIDES Rhetor, vbi ſupra.

†† *Deſcription de l'Egypte*, Part. I. p. 19.

††† GALENVS, apud SPANHEMIVM in Callimachum p. 117.

vſum diuturna experientia comprobauit, * in hodiernum vſque diem vti ſolent, quamuis nec alia deſint. Et ſic cum dulcedine, puritatem, et ſplendorem limpidum, aquae Niloticae coniungunt. Sed nec minus praedicatur, aquae quam *Nilus* vehit, inſignis ſalubritas. *Illud*, inquit ** MAILLETVS, *in aqua Nilotica maximi eſt faciendum, quod, ſupra quam dici poteſt, ſalubris ſit. Quantamcunque illius copiam haurias, nullum exinde ſenties incommodum. Sunt, qui vſque ad tres Situlas vno die bibant, idque ſine vllo detrimento. Si per aeſtatem, quando pori corporis patent, hauriatur, continuo in ſudorem reſoluitur, ſed lenem, quique laſſitudinem non adfert. Tempore hyberno, quo aliter diſpoſitum eſt corpus, via ordinaria per meatus corporis tranſit, nullo maiori cum incommodo.*

Einſdem foecunditatem mirificam celebrarunt veteres mirantur que recentiores.

§. 13. Verum nil tantopere in laudibus *Nili* ponitur, quam mirifica illa et celebrata Seculis omnibus fertilitas, quam aquae eius, non modo agris Aegypti infundunt; ſed animantibus etiam, quae ex illis bibunt. Ea igitur de cauſa veteres Nilum dicere ſolent *** πολυγονον, *valde foecundum, multaque producentem*, et † πολυγονώτατον, *omnium longe foecundiſſimum.* Nam aqua illius †† animantibus carnem auget, et pinguedinem inducit. ††† Quae aqua illius potantur animalia, foecunditate antecellunt alia. Quod et ipſum * Aegyptiorum vxores pariter experiuntur. Quin imo crede-

* MAILLET *Deſcription de l'Egypte*, Part. I. p. 21. fin.
** Vbi ſupra p. 19.
*** DIODORVS p. 9. 10.
† THEOPHRASTVS apud ATHENAEVM, p. 41. fin.
†† PLVTARCHVS de Iſide p. 353.
††† AELIANVS de Animal. Lib. III. c. 33.
* PLINIVS Lib. VII. c. 3. SOLINVS cap. I. p. 4. Edit. Salmaſ.

credebant veteres, * *aquas eius adeo efficaces ad generandum alendumque esse, vt praeter id, quod scateret piscibus, quod Hippopotamos crocodilosque, vastas belluas, gigneret, glebis etiam vitam infunderet, ex ipsaque humo vitalia effingeret.* etc. ac etiam ** alimenta ponte sua sine semine prouenientia, protrudere. *** *Certum* vero *est, mirabilem illam foecunditatem, quae aquis Nili propria est, aliam causam non habere, quam limum pinguem, qui ipsis in Aethiopia se iungit, dum vastas illas regiones peruagantur, quemque secum in Aegyptum vehunt. Tanta vero est limi huius pinguis et nitrosi, qui aquis Nili se paulatim admiscuit, copia, vt flumii, simulatque is Aegyptum ingressus est, partem decimam absoluat, atque abhinc cum agris omnibus, quos attingit, fertilitatem et abundantiam communicet. Vbicunque Nili aquae limum hunc vehunt et relinquunt, campi reuirescunt, et segete vberrima vestiuntur, arboribus folia redeunt atque fructus, plantae laetissimum in modum, qui oculis obseruari potest, crescunt, homines ipsi, non secus atque animantia, nouis veluti alimentis reficiuntur, robustiores apparent, et indolis magis foecundae. Quae loca limus Nili contingere non potest, deserta sunt manentque horrida, steriles-que arenae.* Haec Scriptor, in hisce rebus fide dignissimus, et eorum quae narrat, per plurimos annos, spectator diligens et accuratus. Rationem idem postea reddit, qui fiat, vt Nilus tantam pinguis limi copiam, ex Aethiopia in Aegyptum vehat, eoque agros illius foecundet, sed haec apud auctorem ipsum legi malo.

* MELA Lib. I. cap. IX. HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. c. 25. Adde BOCHARTI Hierozoic. Parte II. col. 67.

** DIODORVS p. 9.

*** MAILLET Part. I. p. 62.

Propter has rationes, Nilum Aegyptii inter Deos suos numerarunt, eique summos honores detulerunt.

§. 14. His iam de causis, quas expoſuimus, Aegyptii Nilo ſuo, ab antiquiſſimis inde temporibus, honores detulere diuinos, vocantes eum * *Sanctiſſimum flumen*, ** *Patrem* ad haec *et Seruatorem ſuae regionis, ac Oſiridis defluxum:* Et *** in Sacris etiam hymnis, eum tanquam *frugum datorem, ſpiciſque copioſum ac locupletem* celebrantes. In Sacris etiam eum † ipſo *Oſiridis, terreſtris* nempe nomine condecorabant. Quod imitantes Graeci, *Nilum* veriti non ſunt, *Iouem Aegyptiorum*, ipſamque Aegyptum, et vicinam Libyam, *Dei huius Templum* appellare. Ita PINDARVS Pyth. IV. p. 239. Edit. Pauli Stephani:

— Χρόνῳ
δ' ὑστέρῳ νάεσσι πολεῖς ἀγαγὲν
Νείλοιο πρὸς πῖον τεμενος Κρονίδα.

— vt tempore
ſequenti in nauibus multos deducat
Nili ad pingue delubrum Saturnii.

Ad quae verba haec notat vetus interpres: Τέμενος Νείλε Διὸς τὴν Λιβύην φησὶ, ἤτοι τὸν Νεῖλον ἀντὶ τῦ Διός φησιν· ἐπειδὴ παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις τιμᾶται ὡς θεός· καὶ παρὰ τὸ Ὁμηρικόν:

†† Ἄψ δ' εἰς Αἰγύπτοιο διίπετέος ποταμοῖο
Ἦ Κρονίδην τὸν Νεῖλον φησίν· ὡς παρμένων
††† Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε —
Ἀναλογεῖ γὰρ τοῖς τῦ Διὸς ὄμβροις τὸ τῦ Νείλε ὕδωρ.

Poëta

* Pſeudo-HERMES in Dialogo Aſclepio, inter Opera Apuleii p. 91.
** PLVTARCHVS Sympoſ. Lib. VIII. p. 729.
*** GREGORIVS NAZIANZENVS Orat. XXXIX. p. 626.
† Vide *Panthei* huius Lib. II. cap. I. §. 4.
†† Odyſſ. Δ. 581.
††† Citatur et ab ATHENAEO Lib. V. p. 203.

Digitized by Google

Poëta Libyam dicit Delubrum Nili Iouis, adeoque Nilum pro Ioue posuit. Nam Aegyptii eum Dei loco colunt Est et ab hoc Homerico tractum

Rursus autem ad Aegyptum (Nilum) *a Ioue fluens flumen*

Aut Nilum Saturnium vocat, id est Iouem, quemadmodum et Parmeno Byzantius

Nile Iupiter Aegyptie

Nam aquae Nili analogiam habent ad imbres Iouis.

Vsque eo vero haec Aegyptiorum vesania, Fluuium suum ad Deorum ordinem dignitatemque euehentium, eumque impensa religione colentium, progressa est, vt eum non modo aeternum ac immortalem praedicarent; verum et Deorum suorum omnium Patrem ac progenitorem dictitarent. Iactabant enim, * *ad hunc fluuium Deos suos ortos esse.* Quod quomodo explicarent, ex aliis Theologiae ipsorum placitis perspicitur. Perhibebant autem, *Phthan* suum, vel, vti loquuntur Graeci, *Vulcanum*, Deorum omnium, quos reuerebantur, Patrem ac Principem, ** *natum esse Nilo.* Id ipsum etiam referebant *** de sua *Neitha*, vel *Minerua*, vti et † de *Sole*, adeoque certo respectu etiam de *Osiride.* Consimilia de aliis etiam Aegyptiorum Diis, tradebantur in Sacris ipsorum fabulis, teste CICERONE Lib. III. *de Natura Deorum.* Etsi hoc autem, quod †† in superioribus iam monui, nihil aliud significare mihi videatur, quam hoc, Deos illos Aegypto esse proprios, non aliunde arcessitos,

* DIODORVS p. 12.
** Vide *Panthei* huius Lib. I. cap. II. §. 9. not. *.
*** Ibid. Lib. I. cap. III. §. 9.
† Ibid. §. 8.
†† Ibid. Lib. I. c. II. §. 9. not. *.

nulloſque ipſis aſſignari Parentes, ſatis tamen id etiam teſtatur, in quanta apud Aegyptios omnes, *Nili* Numen veneratione habitum fuerit.

Paſſim igitur per Aegyptum, Fluuio huic Templa erant erecta, Sacerdoteſque conſecrati.

§. 15. Haec igitur cum ſic ſe haberent, quis eſt, qui non intelligat, *Nilo* fluuio, non ſecus atque aliis Diis, a ſuperſtitioſa Aegyptiorum gente, Templa erecta, Sacerdoteſque conſecratos fuiſſe. Ab eo nomen habuit vrbs olim non incelebris *Nilopolis*, * in qua et Templum fluuio huic dedicatum viſendum erat. Et extant paſſim ** Nummi, nomine Nilopolitarum ſignati. In hanc vrbem, *Apis*, Taurus Aegyptiorum Sacer, poſtquam recens inuentus, et priori mortuo ſuffectus eſſet, primum deducebatur, et inibi, antequam deduceretur Memphim, per dies XL paſcebatur, qua de re capite iam ſequenti dicendum nobis erit. Neque etiam dubitare licet, in vrbe illa, *Nilo* ſingulari modo ſacra, fuiſſe idoneum Sacerdotum Deo huic conſecratorum numerum, qui Sacra ipſius ſolenniter, ritibuſque conſuetis peragerent. Sed et aliis in vrbibus, in honorem magni huius fui et benefici Fluuii, Aegyptios Templa conſtituiſſe, certum eſt. In *Cataduпis*, ſiue *Catarractis Nili*, paulo ſupra Elephantinen vrbem, *** a quibuſdam commemorantur *Sacerdotes Nili*. Et ſi mentem HERODOTI recte percipio, is Lib. II. c. 90. ſubinnuit, in cunctis vrbibus ad Nilum ſitis, puta maioribus, fuiſſe Sacerdotes Nili, hiſque curam incubuiſſe, vt ſiue a crocodilo

* STEPHANVS in voce Νῖλος, vbi conſule BERKELII et HOLSTENII notas.

** Vide BERKELIVM et HOLSTENIVM locis citatis, itemque HARDVINI Nummos antiquos illuſtratos p. 343.

*** HELIODORVS Lib. II. p. 110. Ed. Bourdel. vel 114. Edit. Commelin.

codilo necatos, ſiue fluuio ſubmerſos, in vrbe ad quam eiecti fuiſſent, condirent, ac in monumentis ſacris ſepelirent, his enim cadaueribus diuini quidpiam ineſſe, credebant veteres Aegyptii.

In illius quoque honorem Feſta ſolennia celebrabantur in Aegypto.

§. 16. Quandoquidem Populo Aegyptiorum viſum eſt, *Nilo* fluuio ſuo ſanctiſſimo, Templa et Sacerdotes decernere, per ſe omnino ſequitur, Feſta ſolennia in eiuſdem honorem celebrata quoque fuiſſe. Et facile fidem adhibemus vetuſtis Scriptoribus aſſeuerantibus, *Solennitates Aegyptiorum ſacras tantum non omnes ſpectaſſe ad Nilum.* §. 1. Cum enim Gens haec aut Soli, aut Lunae ſupplicaret, id eo potiſſimum fiebat, vt magna haec Numina, Fluuii ſui veluti Pater ac Mater, eum iuſto tempore inflarent, et in arua ſua mitterent. Dici igitur non immerito poterat, Aegyptios, quibus votorum omnium longe maximum et princeps erat, laetum Nili tempore debito incrementum, in Sacris ſuis ſolennitatibus, id ſemper ob oculos praecipue habuiſſe, ac, vt voti huius compotes euaderent, reliquos Deos precibus inuocaſſe, iiſdemque pro beneficio iſthoc accepto, grates perſoluiſſe. Verum et peculiares in honorem *Nili* Fluuii, inſtituebantur ab Aegyptiis ſolennitates, Pompaeque ſacrae. Eius generis, opinor, illa eſt, cuius PALLADIVS meminit hiſtor. Lauſiac. cap. LII. * *Erat autem in vno illorum pagorum Templum, magnitudine praeſtans, inque eo Simulachrum non parum illuſtre. Statua vero erat ex ligno fabricata, eamque ſolenni Pompa per pagos circumferebant impii Sacerdotes, ceremoniam hanc ſacram in honorem aquae Niloticae peragentes.* De eodem Feſto NICETAS SERRONIVS

* In *Bibliotheca Magna Patrum* Pariſina, Tom. XIII. p. 980.

NIVS ſcribit: * *Olim autem Nilum honoribus afficientes, ac fertilitatis auctorem eum agnoſcentes, ipſi tanquam Deo feſtum* ** *ſpurciſſima et execranda libidine celebrabant.* Et hoc antiquior NONNVS quisquis eſt, in Collectione hiſtor. ad Gregorii Nazianzeni inuectiuas in Iulianum Lib. II. *** hiſt. 32. In Opp. Gregorii Tom. II. col. 529. *Apud Ariſtaenetum Rhetorem hoc legi, Aegyptios feſtum ſolenne Nilo publicitus celebrare, atque omnes tam viros quam mulieres ad vrbium theatra ſe conferre, illicque quas quiſque et quaeque epulas habeat, eſitare: ac tum inſtituta chorea communi, hymnos eoſdem Nilo cantillare, quos Ioui canere ſolent: tanquam videlicet Nilus Iouis opus ipſis exequatur,* † *et terras eorum riget.* Et iſto etiam antiquior LIBANIVS in Oratione *pro Templis*, ſeorſim edita: †† *Haec Aegypti vbertas donum Nili eſt. Nilum autem epulo excipiunt, vtque in Arua deſcendat, inuitant Sacra illa, quae niſi ſtato ac ſolenni tempore, et ab iis, qui ad hoc conſtituti ſunt, facta fuerint, nec ipſe Nilus vnquam aſcendere et exundare voluerit. Quod cum probe intelligerent ii, qui haec quoque Sacra libentiſſime ſuſtuliſſent, tamen ea abolere conſulto noluere.*

Sed

* Comment. in *Gregorii Nazianz.* Orat. XXXIX. col. 1019.

** reſpicit hic auctor ſine dubio Sacra Nilo per Sacerdotes androgynos peracta, de quibus loquuntur Scriptores veteres Eccleſiaſtici. Vide HENR. VALESIVM ad Euſebii Lib. IV. de vita Conſtantini cap. 25. Sed illa aeui ſunt recentioris, priſcis Aegypti incolis ignota.

*** In Editione Graeca Etonenſi eſt hiſtoria 25. et habetur p. 168. fin.

† Ita haec ex graeco verti debent.

†† Orationem hanc primus edidit IACOBVS GOTHOFREDVS Geneu. 1634. Locum allatum citat VALESIVS in notis ad Euſebii vitam Conſtantini Lib. IV. cap. 25.

Sed fluuium illum ex more inſtitutoque maiorum, epulo excipi paſſi ſunt. Celebratum vero fuiſſe iſthoc Feſtum in honorem Nili eo tempore, quo adſcenſus eius obſeruari iam poterat, docet nos IOHANNES CHRYSOSTOMVS in Homilia quadam, vnde haec ex latina verſione adſcribo: *Fluuios etiam adoratos eſſe, res Aegyptiorum, in hunc vſque diem teſtantur: Aſcenſui Nili ſacrificabant, non quod Deum ipſum propter creaturam ab ipſo conditam admirarentur, ſed quod aquam ipſam tanquam Deum venerarentur.* Omnium optime Feſti huius rationem nobis deſcribit HELIODORVS, in *Aethiopicis*, cuius verba, etiam ex interpretatione latina, deſcribenda eſſe duxi: * *Acciderat forte, vt tunc quoque Niloa, maximum apud Aegyptios Feſtum ingrueret: quod quidem circa Solſtitium aeſtiuum maxime, et quando initium creſcendi fluuius capit, celebratur, ac in ſummo honore prae ceteris omnibus habetur, propter eiuſcemodi cauſam. Deum eſſe fingunt Nilum Aegyptii, et ex Numinibus maximum ducunt, aemulum eſſe Coeli praedicantes fluuium, quod ipſis abſque nubibus et pluuiis aëriis, arua irriget.* Et interpoſitis plurimis: *Myſteriorum periti, terram Iſin, et Nilum Oſirin eſſe affirmant, rebus alia tantum nomina indentes.* Feſtum hoc Aegyptiis ſanctiſſimum et iucundiſſimum, depictum videmus luculenter in *Tabula Bembina*, cuius Segmentum ſecundum auſpicatur Figura, in qua *Nilometrium* exhibetur, cuius etiam ** apud HELIODORVM in deſcriptione *Feſti Niliaci*, mentionem fieri videmus. Sed quod videmus depictum in Tabula, eſt portatile, idque, vbi adſcenſus Nili obſeruari publice coeperat, Pompa ſolenni ex Aede Serapidis efferebatur, populoque

* Libro IX. p. 423. Edit. Bourdelot. Vide et p. 443. 444.
** Loc. cit. p. 443.

que oſtendebatur, et poſtquam fluuius idem adſcendere deſiiſſet, ſimili ſolennitate in eandem Aedem reducebatur, quod quidem vtrumque, in illa Tabula, oculis noſtris obiicitur.

De imaginibus Nili Fluuii antiquioribus, in Aegypto viſitatis.

§. 17. Memorant veteres imaginem quandam *Nili* fluuii, et in Aegypto, et in aliis regionibus frequenter viſendam, cuius exempla et hodie reperire licet. Mentionem eius facit PLINIVS, vbi de lapide ferrei coloris, in Aethiopia et Aegypto reperiundo, nomine *Baſalte*, et haec habet. Lib. XXXVI. c. 7. *Nunquam hic maior repertus eſt, quam in Templo Pacis ab Imperatore Veſpaſiano Auguſto dicatus: argumento Nili,* XVI *liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti ſummi incrementi augentis ſe amnis intelliguntur.* Eiuſdem indolis videtur fuiſſe imago illa *Nili*, quam PHILOSTRATVS deſcribit, in *Iconum* Libro I. p. 737. Edit. Morelli. Sic autem ille: Περὶ τὸν Νεῖλον οἱ πήχεις ἀθύρουσι. Παίδια ξύμμετρα τῷ ὀνόματι. Καὶ ὁ Νεῖλος αὐτοῖς ὑπερχαίνυται, τότε ἄλλα, καὶ ὅτι κηρύττουσιν αὐτὸν, ὅσος Αἰγυπτίοις προεχώθη. *Cubiti circa Nilum ludunt, pueri, corporis quantitati,* (cubitali nempe) *cognomines: Iis Nilus ſummopere oblectatur, cum ob alia, tum vel maxime, quod ipſum quanta ſe altitudine euexerit, inque agros Aegyptiorum euagatus ſit, annuntient.* Extat Romae in Bibliothecae Vaticanae aedibus, * *figura Nili decumbentis, quae notas teſſeraſque nobiliſſimi fluuii praefert, videlicet Troglodytas homunciones, cymba vectos, captandis crocodilis; ipſis crocodilis prope adeſt trochilus auis.* —— *pueri ſexdecim totidem incrementi Niliaci cubitos indicant.* In hac pictura, quam graecorum artificum ingenio deberi, mecum, opinor, fatebuntur omnes Anti-

* MONTFAVCON in *Diario Italico*, cap. XX. p. 278. extr.

Antiquitatum Aegyptiacarum bene periti, id ſaltem ex diſciplina Sacerdotum Aegyptiorum tractum eſſe arbitror, quod cubiti Nili adſcendentis, quos accolae illius ſollicite numerabant, per pueros altitudinis cubitalis, a qua et dicebantur πήχεις, id eſt *cubiti*, deſignati legantur. Nempe Sacerdotes, qui rationem numerandi per *cubitos* incrementa Nili inuenerant et adhibebant, *cubitos* hos, in lingua ſua ſacra, allegorica, vel Sacerdotali, appellabant *pueros*, hos vero pingebant altitudine cubitali, et forte eos etiam *cubitos*, Aegyptiace ⲙⲁϩⲓ, *mahi*, nuncupabant. Graeci certe, vt vidimus e PHILOSTRATO, pueros hos πήχεις, *cubitos*, vocabant, tum quod eſſent longitudine cubitali, tum quod cubitos Nili adſcendentis ſubinnuerent. Et ſic paſſim Graeci hos pueros, Nili comites appellant. Idcirco Nilo adſtabant pueri tales XVI, quod in picturis a PLINIO et MONTEFALCONIO viſis, diſerte obſeruatur, quoniam totidem Nili increſcentis cubiti, circa Memphim, enixis omnium votis expetebantur, qui, ſi adeſſent, exoptatam terrae fertilitatem inducebant. * *Iuſtum incrementum*, inquit PLINIVS, *eſt cubitorum* XVI. Sed in Aegypto ſuperiori plures, in inferiori verſus mare, pauciores requirebantur. Haec Sacerdotum Aegyptiorum, incrementa Niliaca per pueros cubitalis magnitudinis ſubinnuentium, locutio allegorica, fabulam nobis de *Pygmaeis* produxit. Nam cum Sacerdotes de pueris cubitalibus, πηχυαίοις et πυγμαίοις, in libris ſuis loquerentur, aut eodem Stylo allegorico, etiam cum peregrinis ea de re agentes, vterentur, et pueros hos ſuos

* Hiſt. Nat. Lib. V. c. 9. PLVTARCHVS de Iſide p. 368. ARISTIDES in Aegyptio fol. 91. b. et 96. a. Edit. graec. IVLIANVS Epiſt. L. AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XXII. p. 247.

ſuos allegoricos ad Nili fontes locarent, Graeci, qui haec proprie et hiſtorice acceperunt, in Aethiopum regione, gentem integram, homuncionum cubitalium, ſiue *Pygmaeorum*, nemini vnquam viſam, confinxerunt, et hoc ſuum lepidum commentum plurimis, et ipſi adeo * ARISTOTELI perſuaſerunt. ** Alii fabulam hanc modo alio interpretantur. Sed iſta, quam nunc expoſui, vera mihi videtur, fabulae illius origo. De aliis Nili Fluuii effigiebus, quae in Nummis ac Monumentis antiquorum etiamnum cernuntur, quia ad meum ſcopum omnino non faciunt, nihil addo. Aegyptii vetuſtiores longe alia Nili ſui Symbola, et viuas quaſdam imagines populo adorandas proponebant, *Apidem* ſcilicet, *Mneuin*, et *Onuphin*, Tauros religione huius gentis conſecratos, de quibus capitibus iam ſecuturis diſſeremus.

* Vide IS. VOSSII notas ad Melam p. 390. 391.
** Idem loc. cit.

CA-

CAPVT II.

De Apide, Tauro Memphitico Sacro, Symbolo incrementi Niliaci.

Apidis magna cum apud Aegyptios, tum apud alias gentes, celebritas. Dicendorum de eo breuis summa praemittitur. §. 1. Apidem per totam Aegyptum, summa religione coluerunt omnes. §. 2. Apis Deus per se non erat; sed aliis Diis, Osiridi nempe et Isidi sacer. §. 3. Credebatur is contactu ignis coelestis, e Luna in vaccam aliquam illapsi, concipi. §. 4. De notis signisque taurum hunc sacrum ab aliis gregariis discernentibus §. 5. Apidis reperti inauguratio, deductio in vrbem Memphim, et vita quam illic agebat. §. 6. Apidem Aegyptii etiam Oraculi instar, super rebus futuris consulebant. De praedictionibus illius. §. 7. De vaticiniis puerorum Apidem comitantium. §. 8. De Apidis cultu, diebusque festis in eius honorem institutis, ac praecipue natalibus. §. 9. Vitae illius certus constitutus erat terminus, quem superare nefas habebatur. In eum hic inquiritur. §. 10. De puteo, quo Apis post interitum mergebatur. §. 11. De publica et solenni, Apidis ante terminum fato functi, sepultura. §. 12. De Apide defuncto luctus institutus in Aegypto publicus, nouusque sollicite quaesitus §. 13. Apis non fuit Symbolum memoriale Iosephi Patriarchae. §. 14. 15. Respondetur obiectioni. Vitulus aureus in deserto cultus, imago Apidis proprie non fuit. §. 16. Apis Taurus Symbolum erat Nili fluuii, sicut etiam passim apud Graecos, boues fluminum Symbola erant et emblemata. §. 17. Idem illud pluribus aliis argumentis confirmatur et illustratur. §. 18. 19. Apidis Natales eo celebrabantur tempore, quo Nili incrementa primum conspicua fiebant. §. 20. Id ipsum ex Tabula Bembina, vel Isiaca, pluribus illustratur. § 21. In illustranda Tabula Bembina pergitur. §. 22. Nomen denique Apis ex vetusta Aegyptiorum lingua explicatur. §. 23.

§. 1.

Apidis magna cum apud Aegyptios, tum alias quoque gentes celebritas. Dicendorum de eo breuis summa praemittitur.

Venio nunc ad Aegyptiorum Numen, quo nullum fere, non modo in ipsa Aegypto celebrius sanctiusque; sed neque in Oriente toto, neque in Graecia notius extitit, *Apidem* Taurum, religione Aegyptiorum, ac praesertim Memphitarum, temporibus antiquissimis, consecratum. Nam et huncce Taurum, non secus atque *Isidem* et *Osiridem*, tota Aegyptus, nulla regione aut vrbe excepta, summo diuinoque honore dignata est, de eo inuento omnes Aegyptii quaquauersum impense sibi gratulari semper consueuerant, eodem vero deperdito, laetitia omnium pristina in luctum vniuersalem versam fuisse, nouimus. Cum igitur Cambyses, et post hunc Occhus, Persarum reges, odium quo in gentem Aegyptiorum incensi erant, summumque religionis ipsorum contemtum, publice testari vellent, id non melius se facere posse crediderunt, quam Apidem, tantum gentis huius Numen, vulnerando, necando, eiusque carnem canibus proiiciendo. Quis porro est veterum, qui de rebus Aegyptiacis aliquid memoriae prodere voluit, qui Apidis mentionem sibi iniiciendam esse, non existimauerit? Aut quis e peregrinis Aegyptum vnquam adiit, vt, quae memorabilia illic prae aliis fama per totum orbem diuulgauerat, oculis suis ipse subiiceret, qui Apidis delubrum non viderit, aut Numini huic sacrum non fecerit? Ipse Alexander M. cum deuicta iam magna Orientis parte, exercitum in Aegyptum duxisset, ac Memphim peruenisset, illic * *tum Diis ceteris, tum Apidi etiam Sacra fecit.* De Caesare Germanico, relatum quoque legimus, quod cum

* ARRIANVS de expedit. Alex. Lib. III. p. 156. Edit. Blancardi.

cum in Orientem profectus esset, * Aegyptum quoque adierit, ac inibi ad visendum Apidem diuerterit. Idem postea feciſſe etiam Titum Vespasianum, SVETONIVS docet in eius vita cap. 5. Sed et horum exempla secutum esse Hadrianum Imp. vel ex iis, quae Scriptor vitae eius literis mandauit, colligi potest. Sic namque ille: ** *Transgressus in Galliam, Alexandrina seditione turbatus, quae nata est ob Apin: qui cum repertus esset post multos annos, turbas inter populos creauit, apud quem deberet locari, omnibus studiose certantibus.* Neque locus est dubio, Imperatorem hunc, post compositas turbas, Apidem quoque fuisse contemplatum, cum idem Thebas profectionem instituerit, ibique inclytam Memnonis Statuam, oculis curiosis lustrauerit, quod *** Epigrammata in Statua illa hodieque legenda aperte testantur, etsi rem hanc historici veteres silentio praeterire maluerint. Hadrianum hunc deinde imitatum quoque fuisse Septimium Seuerum Imp. fidem faciunt, quae in historia vitae eius legimus: † *Iucundam sibi peregrinationem hanc* Aegyptiacam, *propter religionem Dei Serapidis, et propter nouitatem animalium, vel locorum fuisse, Seuerus ipse postea semper ostendit. Nam et Memphim* Apidi sacram — *diligenter inspexit.* Vicissim de Augusto Imp. non sine aliqua admiratione obseruatur: †† *In peragranda Aegypto, paullum deflectere, ad visendum Apin superſedit.* Nobis igitur *Pantheon*

* TACITVS Annal. Lib. II. c. 59. &c. PLINIVS Lib. VIII. c. 46.
** SPARTIANVS in Hadriano cap. 12.
*** Vide RICH. POCOCKE egregium Opus, *Description of the East.* Vol. I. Lib. II. cap. III.
† SPARTIANVS in Seuero cap. 17.
†† SVETONIVS in Octauio Augusto c. 93.

Aegyptiorum aperientibus, eorumque Deos contemplationi omnium exponentibus, Numen tantum praetermittere nefas esset. Cum vero rerum, quas de Tauro hoc sacro veteres literis consignarunt, ingens multitudo, aciem intentionis fere abrumpat, vt ordinem aliquem, rei accommodatum seruem, primo quidem ea, quae de Apidis Numine veteres scripto ad nos transmiserunt, fideliter commemorabo, vt ex iis lector ipse, ecquidnam iudicari de eo debeat, aliqua ratione colligere queat. Deinde vero meam, de Numinibus istius iuxta ac Nominis interpretatione et explicatione sententiam lectori expromam.

Apidem per totam Aegyptum summa religione coluerunt omnes.

§. 2. Apidem Numen fuisse, Aegyptiis omnibus quaquauersum, commune, venerabile, et sacrosanctum, iam monuimus §. 1. *Apis*, inquit * MELA, *populorum omnium Numen est.* Hinc AELIANVS, rerum Aegyptiacarum non imperitus, de hoc Deo ait: ** Θεὸς Αἰγυπτίοις ἐναργέστατος ὁ Ἄπις εἶναι πεπίστευται. *Apis Deus est Aegyptiis, quem vt talem argumentis euidentissimis demonstratum esse, sibi persuadent.* Et de eodem affirmat LVCIANVS, quod *** *Aegyptiis sit* μέγιστος θεὸς, *Deorum maximus.* Talem nobis etiam Deum hunc repraesentat PHILO Iudaeus Lib. III. *de vita Mosis*, p. 677, vbi de idololatria Israëlitarum, vitulum aureum in deserto adorantium ista scribit: Ζηλωταὶ τῶν αἰγυπτιακῶν γίνονται πλασμάτων. εἶτα χρυσοῦν ταῦρον κατασκευασάμενοι, μίμημα τῷ κατὰ τὴν χώραν ἱεροτάτῳ ζώῳ δοκοῦντος εἶναι, θυσίας ἀθύτους ἀνήγαγον. *Coeperunt aemulari figmenta Aegyptiacn, conflato vitulo aureo, in imitationem illius animalis, quod in Aegypto habetur sanctissimum, illique Sacra fecerunt impia.*

§. 3.

* *de situ orbis*, Lib. I. c. IX.
** *de Animal.* Lib. XI. c. X.
*** *de Sacrificiis*, in Opp. T. I. p. 359.

§. 3. Neque tamen Apis re ipſa inter Deos Aegyptiorum primores, quales erant Spiritus Mundi, Sol et Luna, locum habebat, verum vni tantum alteriue ex his ſacer habebatur. Multi *Apidem* Lunae aiebant eſſe conſecratum. Hos SVIDAS ſequitur in articulo Ἄπις, vbi ſic de eo: Θεὸς αἰγύπτιος. Τοῦτον αἰγύπτιοι σελήνῃ τιμῶσι. Καὶ ἱερὸς ἦν ὅδε ὁ βοῦς τῆς Σελήνης, ὥσπερ ὁ Μνεῦις τοῦ ἡλίου. *Apis Deus eſt Aegyptius, Lunae dedicatus. Erat igitur Lunae ſacer, ſicut Mneuis Soli.* De iiſdem AMMIANVS MARCELLINVS ſcribit Lib. XXII. p. 245: *Inter animalia antiquis obſeruationibus conſecrata, Mneuis et Apis ſunt notiora: Mneuis Soli ſacratur, — ſequens Lunae.* Teſtantur idem hoc et * alii, quorum loca deſcribere nimis prolixum foret. Et videbantur notae quaedam, quae in Tauro hoc neceſſario adeſſe debebant, de quibus §. 5, luculenter indicare, eum ad Lunam relationem habere ſingularem et notabilem. Alii vero eundem *Oſiridi*, vel *Soli* ſacratum eſſe cenſebant. DIODORVS vtrumque, ** et *Apin* et *Mneuin*, *Oſiridi*, id eſt *Soli*, conſecratum eſſe docet p. 19: *** *Plerique Sacerdotum* in Aegypto, *dicebant in idem recidere Apim et Oſirin, aſſerebantque, Apin eſſe intelligendum formoſam Animae Oſiridis imaginem.* Hinc in fabulis Sacerdotalibus perhibebatur etiam, † *Oſiridis Animam in Apin migraſſe.* Quidam vero citra ambages aſſeuerabant, †† *Apin eundem eſſe cum*

Apis per ſe non erat Deus, ſed aliis Diis, puta Soli et Lunae, ſingulari modo ſacratus.

* AELIANVS de Anim. Lib. XI. cap. XI. PORPHYRIVS, apud EVSEBIVM Praeparat. Euang. Lib. III. c. XIII. LVTATIVS ad Statii Thebaid. Lib. III. 478. qui *Apin* vocat *taurum lunatum Iſidis.*

** ita etiam PLVTARCHVS de Iſide p. 380.

*** Idem ibidem p. 362. Adde 368.

† DIODORVS L. I. p. 76.

†† STRABO Lib. XVII. p. 555.

Oſiride, quia nempe, vt interpretor, aliquem Solis effectum ſymbolice adumbrabat. Ad haec omnia digitum intendit MACROBIVS, quando *Saturnal.* Lib. I. cap. XXI. ait: *Apis in ciuitate Memphi, Solis inſtar excipitur.* Vtrumque vero, ex genuina Aegyptiorum, priſcaque doctrina, coniungendum eſt. Bos ille ſacer erat et *Lunae* et *Soli*, idque nititur rationibus ſacrorum illius gentis, quae non ita difficulter diuinari poſſunt, eaſque nos infra, proprio ſuo loco, explicabimus. PORPHYRIVS certe conceptis verbis affirmat, * *Apim et Solis et Lunae inſignia prae ſe tuliſſe.*

Apis credebatur contactu ignis coeleſtis, e Luna in vaccam aliquam illapſi, concipi.

§. 4. Quantumuis autem Aegyptii Apidem inter Gentis ſuae Numina ponerent, non tamen ignorabant, bouem hunc ſuum ſacrum, e vacca, adinſtar vitulorum aliorum quorumcunque, in lucem edi, et poſt vitam aliquot annorum, rurſus interire. Erant qui perhiberent, *Apin*, patre *Mneui*, Tauro itidem Sacro Heliopolitano, ſatum eſſe; ſed huius traditionis, vti ſacerdotalium omnium, ſenſum eſſe allegoricum myſticum, infra loco opportuno docebimus, §. 16. Communior Aegyptiorum ſententia, a Sacerdotibus accepta, ferebat, Apin non ſecundum leges generationis conſuetas; ſed per modum miraculi concipi. ** *Raro naſcitur*, inquit Scriptor laudatus, *nec coitu pecoris, vt aiunt, ſed diuinitus et coeleſti igne conceptus.* Paulo apertius et diſtinctius id ipſum ſic explicat HERODOTVS Lib. III. cap. 28: Γίνεται δ' Ἄπις ἐκ βοὸς, ἥτις ἔτι οὐη τε γίνεται ἐς γαστέρα ἄλλον βάλλεσθαι γόνον. Αἰγύπτιοι δὲ λέγουσι, σέλας ἐπὶ τὴν βῶν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταίσχειν, καὶ μιν ἐκ τούτου τίκτειν τὸν Ἄπιν. *Eſt autem Apis e vacca genitus, quae necdum alium concipere poteſt*

* Apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. III. c. XIII.
** MELA Lib. I. c. IX.

poteſt foetum. Eam aiunt igne coeleſti contactam, ex eo Apin concipere. Paria tradunt * alii quoque. Quidam etiam ignem illum coeleſtem ad Lunam referunt, quos inter PLVTARCHVS haec habet *Sympoſ.* Lib. VIII. Quaeſt. I. p. 718: Αἰγύπτιοι τὸν Ἄπιν λοχεύεσθαί φασιν ἐπαφῇ τῆς σελήνης. *Aegyptii Apin concipi aiunt Lunae contactu.* Nonnihil luculentius idem nobis rem hanc explicat, in libro *de Iſide* p. 368: Γενέσθαι δὲ τὸν Ἄπιν λέγουσιν, ὅταν φῶς ἐρείπῃ γόνιμον ἀπὸ τῆς σελήνης, καὶ καθάψηται βοὸς ἐρώσης, διὸ καὶ τοῖς τῆς Σελήνης σχήμασιν ἔοικε πολλὰ τοῦ Ἄπιδος. *Dicunt vero Apin tum concipi, cum Luna lucem genitalem de ſe emittit, eaque tangatur vacca coitum appetens. Vnde et in Apide multa cernuntur, figuris Lunae ſimilia.* Sacerdotes haec re ipſa credidiſſe, quae forte credi ab aliis volebant, nemo mihi perſuaſerit. Nimis teſtatum eſt, eos in rebus ad Apidem ſpectantibus, credulitati Plebis ſaepe et magnopere illuſiſſe. Subeſt et huic traditioni ſenſus aliquis myſticus, ex doctrina eorum phyſica petendus, de quo pauca monebo §. 17.

De notis ſignisque Apidem a Tauris gregariis ſecernentibus.

§. 5. Vti vero Taurus ille ſacer, praeter communem generationis legem, in lucem edi ferebatur, ita quoque certis quibuſdam ſignis ac notis, ipſi propriis, ab aliis ſortis communis bobus diſtingui exiſtimabatur. Si LVCIANVM audimus, Apis ille deſumebatur ** *e grege boum, ſucceſſor vero Apidis tum deſignabatur, quando aliquis obſeruabatur, reliquis formoſior et eximius*, de quo ipſe erat, habitum corporis et adſpectum, a reliquo vulgo eum eſſe ſecreturum. Hoc verum puto. Nam quod ad reliquas bouis illius notas attinet, quas celebrant

* AELIANVS de Anim. Lib. XI. c. X. SVIDAS in voce Ἄπιδες et Ἄπις.

** *De Sacrificiis*, To. I. Opp. p. 359.

veteres, eas mecum, opinor, cordati omnes, ſolertiae et artibus Sacerdotum, in acceptis ferent. Obſeruat autem PLVTARCHVS, * in boue illo, deprehenſas fuiſſe viciſſitudines vmbrae et lucis, vel nigredinis et candoris, vt ſic aliquam cum mutationibus Lunae ſimilitudinem prae ſe ferre videretur. Et profecto cernere hoc quiuis poteſt in luculenta Apidis figura, quam nobis exhibet *Tabula Bembina* vel *Iſiaca*, quaeque illius Segmentum ſecundum et auſpicatur, et iterum claudit. Nam bos ille, ex parte quidem colorem prae ſe fert vehementer atrum, cetera vero inſigniter candens apparet. Audiamus et PLINIVM, de notis Tauri noſtri haec referentem Lib. VIII. cap. 46: *Inſigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus Lunae creſcere incipientis. Nodus ſub lingua, quem cantharum appellant* Duas auctor hicce notas Apidis veri commemorat. Earum altera eſt, macula alba in dextro latere, ſpeciem Lunae corniculantis prae ſe ferens. Tangit eandem quoque SOLINVS in *Polyhiſtore* c. 32: *Apim inſtar colunt Numinis, inſignem notae albae macula, quae dextro eius lateri ingenita, corniculantis Lunae refert faciem.* Et AMMIANVS Lib. XXII. p. 245: *Eſt enim Apis bos diuerſis genitalium notarum figuris expreſſus, maximeque omnium corniculantis Lunae ſpecie latere dextro inſignis.* Non melius id, quod Scriptores hi nos docere volunt, quam ex *Tabula Bembina* intelligi poteſt: Ibi enim notam hanc Apidis ſcite depictam, oculiſque noſtris obiectam cernimus. Poteſt id ipſum, licet non ita ad viuum expreſſum, in Nummis, aliiſque vetuſtis Monumentis obſeruari. Altera PLINIO nota Apidis eſt, *nodus ſub lingua, quem cantharum appellant*, quod minus clare HERODOTVS dixit:

ἐπὶ

* *de Iſide* p. 368. Adde STRABONEM Lib. XVII. p. 555.

ἐπὶ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον, idque in verſione latina Editionis meae redditur, *cantharum in palato.* In graeco videtur legendum ὑπὸ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον, quod plane expreſſit PLINIVS, *nodus ſub lingua, quem cantharum vocant.* Optime PLINIVS notam hanc explicuit, eique cum imagine *Tabulae Bembinae* egregie conuenit. Alii notas alias addunt, de quibus HERODOTVS Lib. III. c. 28. AELIANVS de Animal. Lib. XI. c. X. ac inſuper alii conſuli poſſunt. Si AELIANO fides, Aegyptii notas Apidis numerabant XXIX. Sed quis negauerit, multa in his fuiſſe fabuloſa, ipſiſque Aegyptiis incognita, alia nil niſi vanas ſpecies imaginationis fallacis, in pleriſque vero Sacerdotes fraudulentos, credulitati inquirentium, ac ſigillatim peregrinorum, illuſiſſe? Quicquid ſit, vbi fama populis nuntiaſſet, vaccam igne coeleſti tactam, deſideratum Aegypti incolis Apidem enixam iam eſſe, * quidam ex Scribarum ſacrorum ordine, qui ſecreta librorum myſticorum in numerato habebant, vitulum recenti partu editum, exquiſita cura explorabant, et ſi eum omnibus ſignis conſummatum deprehendiſſent, *Apidem* eum, id eſt Deum renuntiabant, et tum Aegypti incolis ** *vbertatem frugum diuerſaque praeſagiebant bona.* Ita nempe illi plebem rudem, et a teneris vnguiculis ſuperſtitioni turpiſſimae mancipatam, ludificabantur.

§. 6. Iam igitur nouo, recenſque nato Deo, in loco, vbi lucem adſpexerat, *** ex praeſcripto vetuſtiſſimo Mercurii, domus erigebatur, ad Solem orientem ſpectans, in qua menſes quatuor lacte nutrie- *Apidis inauguratio, deductio Memphim, et vita quam ibi degebat.*

* AELIANVS de Anim. L. XI. cap. X. AMMIANVS p. 245.
** AMMIANVS loc. cit.
*** AELIANVS, vbi ſupra.

triebatur. Tempore hoc exacto, et noua Luna in coelo apparente, Sacrorum Scribae et Prophetae ac eum accedebant, eumque ritibus consuetis salutatum, naui imponebant, ad modum thalami constructae ac deauratae, quae Memphin eum deueheret. Eo * *centum antistites ipsum prosequebantur.* Antequam vero in vrbem illam appelleret, primo, ** ducebatur Nilopolin, vbi eum Sacerdotes ad dies XL sollicite nutriebant. Hic *** solarum mulierum conspectui patebat, quae eum ritu parum pudico, supraque modum turpi, excipiebant, posthaec vero a praesentia eius in perpetuum excludebantur. Et sic iam eodem Sacerdotum comitatu deferebatur Memphim, † vbi eum Sedes commodae, iucundae, ac ad voluptatem omnem compositae, manebant. Illic igitur, †† *initiante antistitum numero centum, inductus in thalamum sacer esse* omnibus *incipiebat.* Nam ††† *Delubra, quibus succedebat, aut incubabat* Apis, *mystice thalamos nominabant* Aegyptii. * *Erantque delubra ei gemina, quae vocabant thalamos, auguria populorum. Alterum intrasse laetum erat, in altero dira portendebat.* Habebat enim Apis Memphi ** *aedem sacram Templo Vulcani adiacentem. Ibi* *** *in Sacello quodam* (quod nempe Thala-

* SOLINVS cap. 32.
** DIODORVS p. 76.
*** DIODORVS loc. cit. EVSEBIVS Praep. Euang. Lib. II. c. I.
† AMMIANVS de Animal. Lib. XI. c. X.
†† AMMIANVS loc. cit.
††† SOLINVS, vbi supra.
* PLINIVS Lib. VIII. c. 46.
** STRABO p. 555.
*** In graeco est ἐν σηκῷ, quod significat tum *Stabulum* pecoris, tum *aediculam*, vel *Sacellum*, Deo cuipiam dedicatum.

Thalamum dicebant) *alebatur. Ante illud Sacellum aula quaedam erat, et in ea aliud Sacellum matris eius vaccae. In hanc aulam nonnunquam emittebatur Apis, praesertim vt peregrinis ostenderetur. Per fenestram videri quidem poterat in Sacello degens; sed volebant Sacerdotes, vt etiam extra illud cerneretur.* Si credimus * AELIANO, habebat Apis ibidem δρόμους καὶ Κονίστρας, *atria ampla et Gymnasia*, vbi nempe ludere seque exercere poterat cursu. Erant porro ** aediculae, in quibus in eius gratiam alebantur vaccae forma praestantes, vt sicubi ipsum cupido incesseret, cum qua vellet, congredi posset. Sed videtur hoc AELIANVS ex ingenio suo, vt narrationem coeptam ornaret, confinxisse. Non consentiunt certe cum iis, quae alii referunt, *** *bouem illi foeminam, et ipsam non absque certis insignibus, in anno semel ostensam fuisse, quae simulatque inuenta, ipsique oblata esset, eodem die statim neci daretur.* Erat in eadem Apidis aede sacra, † puteus et fons aquae, ex quo solo Taurum potare fas erat, arcebaturque a bibenda Nili aqua, ne illius dulcedine captus, eam praeferret alii, eoque pinguedinem carnis vltra modum augeret. Id enim efficere aquam Niloticam, testantur veteres. Ibidem porro Tauro illi sacro, pabulum praebebatur, in praesepi, quod in prouerbium videtur abiisse. GREGORIVS certe NAZIANZENVS, inter celebriora Gentilium Sacra, risu tamen et contemtu digna, numerat etiam

* de Animal. L. XI. c. X. Vide et STRABONEM loc. cit.

** AELIANVS ibid.

*** SOLINVS, vbi supra. Adde PLINIVM et AMMIANVM loc. cit.

† AELIANVS, vbi supra. PLVTARCHVS de Isíde p. 353.

iam * Φάτνην Ἄπιδος, μόχθ' κατατρυφῶντα τῆ Μεμφίτων εὐηθίας, *praesepe Apidis, vituli, Memphitarum vaecordia ad luxum abutentis.* Et in EVDOCIAE MACREMBOLITISSAE Opere inedito, quod inscripsit Ἰωνιὰ, id est *Violarium*, quasi dicere *Florilegium*, integrum ** caput extat περὶ τῆς Ἄπιδος Φάτνης, *de Apidis praesepi.* Potest tamen dubium videri, num non voce Φάτνης, *stabulum* potius designetur, quo sensu etiam Latini vocem *praesepe* nonnunquam adhibent. Et tum Φάτνη id ipsum significaret, quod STRABO paulo ante allatus, σηκὸν dixit, alii *delubrum*, aut etiam *thalamum* vocant. Ita omnino verba Sancti Patris cepit Commentator eius, NICETAS SERRONIVS, cuius versio latina a BILLIO, inter Opera GREGORII edita est. Sic enim is ad loc. cit. scribit: *** *Vitulum vero Memphitae summa religione colebant, eumque Apim nuncupabant, ac praesepio inclusum habebant, publicoque hominum conuentu sacrificia ei offerebant. Signa autem quaedam a ceteris diuersa Apis habebat, tum circa caudam, tum circa linguam: ac si quis eiusmodi inter armenta conspectus fuisset, confestim ad sacrum praesepe ab ipsis assumebatur.* Quia NICETAS affirmat, *Apim* sacro praesepi inclusum fuisse, nemo est, qui non intelligat, sermonem esse de *Sacello*, non de *praesepi* communius sic dicto.

Apidem Aegyptii etiam Oraculi instar super rebus futuris

§. 7. Tempus igitur, quod vitae eius praestitutum erat, fere totum *Apis* in Stabulo illo sacro, et in atriis exigebat, ibique cum ab indigenis, tum a peregrinis, edens, bibens, ludens, quotidie spectabatur. Neque tamen, qui ad ipsum visendum acce-

* Oratione XXXIX. Opp. To. I. p. 626.
** FABRICIVS Biblioth. Graec. Vol. VI. p. 589.
*** In Operibus *Gregorii Nazianzeni* To. II. Part. II. col. 1019.

accedebant, ſemper nudi tantum erant ſpectatores. Veniebant etiam ſaepe, qui ſuper rebus futuris eum conſulere, et quae ſibi eſſent euentura, ex eo diſcere cuperent. Celebrant ſane veteres praedictiones Dei huius; ſed quae non ſimiles eſſent Oraculis Apollinis Delphici, aut aliis quondam in Graecia inclytis, quae verſibus, aut certe verborum ſententiis concepta audiebantur, et legebantur: nam Taurus Aegyptiorum ſacer, nonniſi nutibus, et ſignis quibuſdam futura praedicebat. Fuit tamen * haec indoles Oraculorum antiquiſſimorum omnium, et ipſius quoque Delphici, de quo illud HERACLITI dictum celebre extat: ** Ὁ ἄναξ ὁ ἐν Δελφοῖς οὔτε λέγει, οὔτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει. *Rex, qui Delphis praeſidet, non dicit, nec abſcondit, ſed ſignis innuit.* Ad hunc modum compoſita inprimis erant Oracula apud Aegyptios vetuſtiora. De Oraculo Iouis Ammonis Libyco obſeruat STRABO Lib. XVII. p. 560: Οὐχ' ὥσπερ ἐν Δελφοῖς, καὶ Βραγχίδαις τὰς ἀποθεσπίσεις διὰ λόγων, ἀλλὰ νεύμασι γίνεσθαι καὶ συμβόλοις τὸ πλέον. *Reſponſa Dei huius, de futuris rebus conſulti, non ſicut ab Oraculo Delphico, aut Branchidarum, per verba reddi, ſed vt plurimum nutibus quibuſdam, ac Symbolis ſiue ſignis.* Tradit eadem EVSTATHIVS in *Dionyſium Periegeten* v. 211: *** Ἱστοροῦσι δὲ καὶ, τὰς μαντείας διὰ συμβόλων ἐν Ἄμμωνος γίνεσθαι, ἤτοι διὰ σχημάτων τινῶν, κατανεύσεων, ἢ ἀνανεύσεων. *Narrant etiam vaticinia in Templo Ammonis edi per Symbola, id eſt per geſtus corporis, quibus aliquid aut approbatur, aut vero repudiatur.* Tales igitur erant etiam praedictiones Apidis,

conſulebant. De eius praedictionibus.

* CLEMENS *Alexandrinus* Stromat. L. V. p. 555.
** ANONYMVS apud STOBAEVM Sermone V. p. 69. PLVTARCHVS de Pythiae Oraculis p. 404.
*** Ita repoſui ex Cod. MS. quo vſus eſt Hudſonus.

Apidis, quarum veteres mentionem faciunt. *Apis*, inquit * vetus Grammaticus, *Aegyptiis motu corporis sui et quibusdam signis futura praedicit.* Clarius nonnihil id PLINIVS explicat Lib. VIII. cap. 46. *Sunt Api delubra gemina, quae vocant thalamos, auguria populorum. Alterum intrasse laetum est, in altero dira portendit. Responsa priuatis dat, e manu consulentium cibum capiendo. Germanici Caesaris manum auersatus est, haud multo post extincti.* Quae ex eo fere repetit SOLINVS cap. 32. Eadem de re AMMIANVS haec refert Lib. XXII. p. 245. *Cum inductus in thalamum coeperit esse sacer, coniecturis apertis signa rerum futurarum dicitur demonstrare: et adeuntes quosdam indiciis auerti videtur obliquis, vt offerentem cibum aliquando Germanicum Caesarem — auersatus portenderat paulo post euentura.* Constat ex his, auspicatum omen habitum fuisse, si bos ille sacer e manu porrigentium cibum caperet, infaustum, si id facere renueret, quod in aliis Aegypti partibus, vt opinor, ** ratione crocodilorum obseruari similiter consueuerat. Verum ad alia quoque signa, huic non valde dissimilia, edita ab Apide, attendere solebant Aegyptii. Tale quid Eudoxo, illustri Astronomo, contigisse dicitur. Nam *** *cum in Aegypto moraretur cum Ichonuphi, Sacerdote Heliopolitano,* (vel potius, † vt alii, Memphitico,) *Apis illius pallium lingere visus est. Celebrem igitur illum fore, verum haud longaeuum, ex eo ostento Sacerdotes dixere.* Huius farinae erant celebratae Dei istius praedictiones.

§. 8.

* LVTATIVS ad *Statii* Thebaid. Lib. III. 478.
** AELIANVS de Animal. Lib. VIII. c. 4.
*** DIOGENES LAERTIVS Lib. VIII. §. 9.
† Vide *Panthei* huius Lib. I. cap. IV. §. 14. not. ****.

§. 8. Illud vero praetermitti hic non poteſt, quod Aegyptii credebant, cum pueris Apidem cateruatim comitantibus et ſequentibus, donum vaticinandi etiam coelitus communicari. Docebit id nos in his PLINIVS Lib. VIII. c. 46: *Cetero ſecretus, cum ſe proripuit in coetus, incedit ſummotu lictorum, grexque pucrorum comitatur, carmen honori eius canentium: intelligere videtur, et adorari velle. Hi greges repente lymphati, futura praecinunt.* In pauciora haec contrahit SOLINVS cap. 32: *Pueri Apim gregatim ſequuntur, et repente velut lymphatici futura praecinunt.* Diſcimus autem ex AELIANO de Anim. Lib. XI. cap. X. talem fuiſſe hanc vaticinii ſpeciem. Qui futura ſcire auebat, Deum (Apim) precabatur. *Pueri vero extra ludentes, atque inter ſe ſaltantes, Numine afflati, omnia praedicebant, quae non minus vera putabantur, quam quae apud Sagram dicuntur.* Sed omnium optime rem hanc nobis explicat PLVTARCHVS *de Iſide* p. 356. cuius ideo verba non omittenda eſſe putaui. Sic illa ſe habent. Ἐκ τούτου τὰ παιδάρια μαντικὴν δύναμιν ἔχειν ὀιεσθαι τὸς Αἰγυπτίους, καὶ μάλιστα ταῖς τούτων, * ὀτένεσθαι κληδόσι, παιζόντων ἐν ἱεροῖς, ἢ φθεγσομένων, ὅτι ἂν τύχωσιν. *Hinc tractum, quod Aegyptii pueros facultate diuinandi praeditos putant, et maxime ominis loco accipiunt, ſi quid ii in Templis ludentes forte pronuntiant.* Hinc igitur aeſtimare licet, qualianam fuerint vaticinia puerorum, Apim ſubſequentium, et in aula eius ludentium. Equidem PLVTARCHVS loco nunc allato, de his ſigillatim pueris non loquitur; ſed non aliam fuiſſe horum praedicendi futura rationem, omnia aperte co-

De vaticiniis puerorum Apidem comitantium.

quun-

* Scribendum hic ὀτλύεσθαι. Vide HESYCHIVM, et EVSTATHIVM in Homeri Odyſſ. p. 1398. Sic POLYBIVS Lib. I. c. 12. etc.

quuntur. Iuuat eam in rem verba adſcribere PAVSANIAE, de ſimili diuinationis genere, apud Pharenſes in Achaia adhiberi ſolito, haec narrantis: * *Qui Deum conſulunt, Veſtam primo thure incenſo placant. —— Vbi, quod ex vſu fuerit, interrogauit, aurem ſimulachro admouet: inde e foro abiens, manibus aures premit. Vbi extra forum delatus eſt, amota manu, quam primum excepit vocem, eam ſibi Oraculi loco ducit.* Et tum haec addit: *Talis etiam apud Aegyptios, in Apidis Fano, celebratur Oraculi religio.* Aperte loquitur de pueris, in Aede Apidis ludentibus, quorum voces fortuitae Oraculi inſtar ab aliis excipiebantur. Erant igitur perſimiles, celebri illi Hebraeorum בת קול, *Bat Kol*, ſiue *filiae vocis*, de qua ** viri eruditi multa obſeruant.

De Apidis cultu, diebusque feſtis, in eius honorem inſtitutis, ac praecipue natali.

§. 9. His igitur aliiſque de cauſis, quas commemorauimus, aut etiam poſt haec commemorabimus, Apidem Aegyptii cultu ſolenni celebrarunt, et ſacrificiis quoque placarunt. *Publico hominum conuentu*, inquit NICETAS, *** *Sacrificia ipſi offerebant.* Et, quod mireris, inter animalia † boues ipſi immolabantur, qui nempe poſt adhibitam exploratione puri deprehenſi erant. Bos ergo, boue immolato placabatur, tametſi, †† vt veteres teſtantur, bos ille Aegyptiorum ſacer, honores iſtius generis omnes, quibus a Sacerdotibus afficiebatur, inſuper haberet atque dedignaretur. Erant etiam certi dies feſti, cultui Apidis ſolenniori conſecrati, omnibus Aegyptiis exoptati et iucundi, inter quos emine-

* In *Achaicis* ſiue Lib. VII. cap. XXII. p. 579.

** IOH. LIGHTFOOTVS Hor. Hebr. in Matth. III. 17. HVMPH. PRIDEAVX Hiſtoire des Juifs Vol. IV. p. 51. 52.

*** Vide ſupra §. 6.

† HERODOTVS Lib. II. c. 38. 41.

†† PLVTARCHVS in vita Cleomenis p. 821.

eminebat eius natalis, cuius saepe meminerunt veteres, quemque Θεοφάνια dicere non verentur. *Dies*, inquit * MELA, *quo gignitur Apis, genti maxime festus est.* Operae pretium est, de re eadem, et haec adscribere verba PLINII Lib. VIII. c. 46: *Memphi est locus in Nilo, quem a figura vocant phialam, omnibus annis ibi auream pateram argenteamque mergentes; diebus quos habent natales Apis: septem hi sunt, mirumque neminem per eos a crocodilis attingi: octauo post horam diei sextam, redire belluae feritatem.* Rem hanc ex PLINIO, more suo, etsi nonnihil mutatis verbis, sic descripsit SOLINVS cap. 32: *Apis natalem Memphi celebrant, iactu aureae paterae, quam proiiciebant in Nili statum gurgitem. Haec solennitas per septem dies agitur: quibus diebus cum Sacerdotibus quasdam crocodili inducias habent, nec attrectant lauantes. Verum octauo die, ceremoniis iam peractis, veluti reddita saeuiendi licentia, solitam resumunt ferocitatem.* Gemina his leguntur apud AMMIANVM MARCELLINVM p. 248: *Saeuientes semper eaedem ferae, quasi pacto quodam foedere castrensi, per septem ceremoniosos dies mitescunt, ab omni saeuitate desciscentes, quibus Sacerdotes Memphi natales celebrant Apis.* Rem eandem tangit SVIDAS in voce Ἄπιδες, vbi de his Aegyptiorum Diis sequentia tradit: Οἷς γεννωμένοις διὰ χρόνου, ὡς ἔλεγον, ἐκ τοῦ σέλαος τῆς σελήνης, ἑορτὴν μεγάλην ἦγον, καὶ ἱερεῖς τινες περὶ τὸν τεχθέντα βοῦν ἱερῶντο, παρατιθέντες Παιδαισίαν, ὡς εὐωχοῦντες αὐτοῖς. *Apides post certum temporis interuallum, ex lumine Lunae, sicut perhibebant, nascebantur: quod cum fieret, ingens festum in eorum honorem celebrabatur, et Sacerdotes circa bouem natum victimas immolabant, appositisque omnis generis epulis,*

* *de situ orbis* Lib. I. c. IX.

epulis, eos conuiuio quaſi excipiebant. Auctor hic de eo tantum die feſto loqui videtur, quem Aegyptii celebrabant, vbi nouus Apis inuentus, et priori enecato, ſucceſſor datus iam eſſet: neque dubium eſt, quin * et hicce dies, inter multiplicis laetitiae teſtimonia, transactus fuerit a Niligenis. Poterat ille dies iure merito nuncupari natalis Apidis; ſed illius celebrationem tamen quotannis eadem anni tempeſtate, repetebant Aegyptii, diemque illum, aut potius tempus iſtud, quod plures dies complectebatur, ſimili celebritate, inter epulas et continuam hilaritatem, laeti exigebant. Quodnam vero anni tempus, huic celebritati dicatum fuerit, infra §. 20 diſpiciemus.

Vitae illius certus terminus erat conſtitutus, quem ſuperare neſas habebatur. In eum inquiritur.

§. 10. Tametſi vero natalem Apidis communi et ingenti gaudio celebrarent omnes Aegypti incolae, vitae tamen eius, certum quoddam annorum ſpatium erat praeſtitutum, quod excedere ipſi non licebat. Obſeruat hoc PLINIVS Lib. VIII. c. 46: *Non eſt fas, cum certos vitae excedere annos, merſumque in Sacerdotum fonte enecant.* Quae ex eo SOLINVS, vt ſolet, ita expreſſit cap. 32: *Statum aeui ſpatium eſt, quod vt affuit, profundo ſacri fontis immerſus necatur, ne diem longius trahat, quam ** licebat.* Cum quibus plane concordant iſta AMMIANI Lib. XXII. p. 245: *Apis —— cum poſt viuendi ſpatium praeſtitutum, ſacro fonte immerſus, e vita ubierit, nec enim eum vltra trahere licet aetatem, quam ſecreta librorum praeſcribit auctoritas myſticorum. —— alter — quaeritur.* Operae pretium hic eſſe duco, diſtinctius inquirere, quotnam annos, ſpatium illud vitae Apidis deſtinatum comprehenderit.

* Vide HERODOTVM Lib. III. c. 27.

** ita corrigendum putaui, pro eo quod in Editionibus legitur, *licebit.*

derit. Nam eum id ex *secretis librorum mysticorum* pependerit, vbi erit perspectum, ad aestimanda et diiudicanda Mysteria et Secreta Theologiae Aegyptiorum, non poterit non aliquid conferre. Vir quidam eruditus, et cognitione antiquitatis non mediocriter ornatus, existimauit, Tauro Aegyptiorum Sacro, * *vitam in quinquennium produci consuevisse.* Quamuis vero is asserto huic nullam ex veterum testimoniis auctoritatem conciliauerit, existimauerim tamen, eum in mente habuisse istos LVCANI versus, *Pharsal.* Lib. VIII. 477.

Hunc genuit custos Nili crescentis in arua
Memphis vana Sacris; illo cultore Deorum
Lustra suae Phoebes, non vnus vixerat Apis.

Significat enim Poëta, Achoreum, Sacerdotem Memphiticum, et, vt credi par est, Apidis, plures vidisse Apides, qui aut spatium vitae suae statutum emensi fuissent, aut alio modo sibi inuicem successissent. Videtur etiam vnicuique ex illis bobus sacris, quos successiue se excipientes viderat Achoreus, lustrum, id est vitae quinquennium tribuere. Neque enim nego, verba Poëtae sensum talem fundere posse, et memini sane, me ea olim eodem sensu interpretatum fuisse; verum tamen et mihi concedet cordatus quisque, posse hunc quoque illorum verborum esse sensum, vnumquemque illorum Taurorum, quos successiue sacrari viderat Achoreus, plura lustra suae Phoebes, id est Lunae, vixisse. Hanc nunc iam existimo veram fuisse Poëtae mentem atque sententiam, idque sequentia planum facient. Scribit nempe PLVTARCHVS in libro *de Iside* p. 374: Ποιεῖ δὲ τετράγωνον ἡ πεντὰς, ἀφ' ἑαυτῆς,

* IAC. TOLLIVS in *Fortuitis* cap. II. p. 12.

ἑαυτῆς, ὅσον τῶν γραμμάτων παρ' αἰγυπτίοις τὸ πλῆθός ἐστι, καὶ ὅσον ἐνιαυτῶν ἔζη χρόνον * ὁ Ἆπις. *Quadratum porro quinarius numerus producit a se, quantus est numerus literarum apud Aegyptios, et quot annos viuere solet Apis.* Ex quo loco sequitur, quod etiam dudum ex B. LA CROZIO me audiuisse memini, antiquas Aegyptiorum literas fuisse numero XXV, et totidem annos libros Sacerdotales constituisse vitae Apidis. Et ipsum hoc pluribus argumentis, momenti non leuissimi, illustrari confirmarique egregie potest. Testatur enim HERODOTVS, diligentissimus rerum sacrarum, in ipsa Aegypto, scrutator, Lib. III. c. 27. Apidem consueuisse Aegyptiis apparere διὰ χρόνου πολλοῦ, *post longum tempus:* loquitur autem de Apide nouo, recens inuento, priori nempe, qui viuere iam desierat, nunc successuro. Hoc Scriptor eximius ait fieri consueuisse ** διὰ χρόνου πολλοῦ, *post longum tempus.* Dici id non posset, si quouis quinquennio nouus Aegyptiis apparuisset Apis; sed anni XXV, tempus omnino constituunt idoneum, quod non ita multi saepius recurrere vident. Hanc rationem esse quiuis facile intelligit, quod in Achoreo, Sacerdote Memphitico, hoc ceu singulare quidquam, relatu omnino dignum duxerit LVCANVS:

— *illo cultore Deorum*
Lustra suae Phoebes non vnus vixerat Apis.

Si exacto semper quinquennio, Apidi priori continuo successisset alter, Sacerdotes plerique, plures Apides videre poterant, et re ipsa viderant. Hoc nemini

* Ita ex Editione Basileensi hic legendum.

** Idem significare videtur SVIDAS, adductus §. 9. vbi ait Taurum sacrum generari διὰ χρόνου, id est, vti vertendum esse opinor, *post spatium temporis longius.*

nemini potuiſſet mirum videri. At vero, ſi Taurus quilibet ſacer, ſecundum leges Sacerdotales, attingere viuendo ſoleret annum vigeſimum quintum, tum plures Apides videre non poterant Sacerdotes ipſi miniſtrantes, niſi eſſent aetatis prouectioris. Et iſtud quidem in Achoreo ſuo conceptis verbis Poëta obſeruat:

— quos inter Achoreus
Iam placidus ſenio, fractiſque modeſtior annis.

quod etiam ex eo confirmat

— illo cultore Deorum
Luſtra ſuae Phoebes non vnus vixerat Apis.

Eodem referre poſſis, quod DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 76. memoriae mandauit, *regnante Ptolemaeo Lagide accidiſſe, vt Apis Memphi ſenio deficeret.* Neque hoc locum habuiſſe largientur facile aequi rerum arbitri, ſi quintus ſemper annus vitae Apidis finem attuliſſet. At fieri facillime poterat, vt bos ab anno aetatis vigeſimo quinto non valde remotus, aut etiam eundem forte caſu quopiam ſupergreſſus, deficiens, putaretur ſenio extinctus eſſe. Neque id hoc loco praetermittendum duxerim, quod numerus XXV, Sacerdotibus Aegyptiis myſticus, ac inprimis ſacer habitus fuerit. Nempe * *credebant Aegyptii, Lunae cum Sole in eundem locum ἀποκατάστασιν*, XXV *annorum circuitu contingere, annorum ſcilicet vagorum Aegyptiacorum, vt proinde anni magni ἀποκατάστασις rediret poſt cyclum annorum*

* DODWELLVS in Append. ad Diſſert. Cyprian. §. 14. MARSHAMVS in Canone Chronico p. 9. VIGNOLIVS de annis Aegypt. in Miſcellaneis Berolin. To. IV. p. 11.

rum vagorum MCCCCLXI, *quinquies repetitum atque vigesies* Si hoc, quod vir doctissimus obseruat, admitti posset, tum nobis ratio mystica, in Libris Sacerdotalibus prodita, ob quam vitae Apidis anni statuti essent XXV, clare pateret. Nempe post annos XXV Sol et Luna in eundem coeli locum reuerterentur, et nouum cyclum totidem annorum redauspicarentur. Et Apidem vero, tum Soli, tum Lunae, ratione singulari sacratum fuisse, ex §. 3, satis constat. MARSHAMVS etiam longius progreditur, * asseuerando, annos XXV Aegyptiorum vagos, aequales esse Iulianis XIX, qui cyclum illum notissimum Lunarem absoluunt. B. VIGNOLIVS, cuius raram in disciplinis Mathematicis et Astronomicis peritiam, eruditi omnes agnoscunt, postquam MARSHAMI eam in rem verba attulisset, ** hanc quidem eius obseruationem non improbat; verum censet tamen, eam non recte ab ipso applicari, ad aliud quid demonstrandum. Cum tamen nulla ratione perficere possem, quomodo anni Aegyptiorum vagi XXV, aequales esse possent XIX Iulianis, adeoque plenum cyclum Lunarem accurate constituere et absoluere, consului super ea re, Collegam coniunctissimum, multisque nominibus mihi impense colendum, D. IO. FRIDERICVM POLAC, Iur. et Mathematum in nostra Academia Professorem celeberrimum, atque hoc ab eo responsum tuli, rem ipsam veritati consentaneam prorsus non esse, cum annus Aegyptiacus vagus, a Iuliano fixo, quatuor quibusque annis, nonnisi vno die recedat, ac differat, fieri vero potuisse, vt Sacerdotes Aegyptii, ob rationem nobis ignotam, censuerint, post absolutum annorum XXV. curriculum, contingere aliquam nouam

* in *Canone Chronico*, vbi supra.
** in Miscell. Berol. loc. cit.

nouam Solis et Lunae ἀποκατάσασιν, et DODWELLVM nihil niſi hoc adſtruxiſſe. Id vero mihi iam nunc ſufficit. Neque profecto negari poteſt, aut negatum aut quoquam fuit, numerum annorum XXV, Aegyptiis tanquam Myſticum, et praeceptis religionis ſuae inprimis accommodatum, in pretio ſingulari ſacrumque fuiſſe. Si igitur exiſtimarunt Sacerdotes, poſt exactos annos XXV fieri aliquam nouam Solis et Lunae reuolutionem, quod profecto veroſimillimum eſt, colligere iam facile poſſumus, Sacerdotes rem ita ordinaſſe, vt vita Apidis ſui, Lunae Solique conſecrati, tam diu duraret, donec reuolutio illa reuerteretur. Et re ipſa Apidem non ad Nilum tantum; ſed etiam ad annum Aegyptiorum, ac rationes temporum ab ipſis conſtitutas, relatum fuiſſe, oſtendemus §. 15.

De puteo in quo Apis poſt interitum mergebatur.

§. 11. Poſtquam igitur Apis luſtra Lunae ſuae viuendo compleuiſſet, vltra illum terminum aetatem trahere ipſi non licebat, ideoque, ſi halitum etiamnum duceret, profundo Sacri Sacerdotum fontis mergebatur. §. 10. Quiſnam ille puteus, aut vbi locorum ſitus fuerit, non facile quis dixerit. Etenim loci illius notitiam, omnibus non initiatis penitus ſubtractam, ſibi ſolis Sacerdotes reſeruauerant. Inde eſt, quod STATIVS Iſidem inuocet, vt ipſa Metium Celerem inter alia docere velit:

* *Quos dignetur agros, aut quo ſe gurgite Nili*
Mergat adoratus trepidis Paſtoribus Apis.

Ex quo non abſurde quis colligere poſſet, Sacerdotes populo perſuadere ſolitos fuiſſe, Apidem ſponte ſua, vbi terminus vitae ſtatutus aduenisſet, mortem ſibi conſciſcere, ſeque ipſum ſacro aliquo fonte

* *Syluarum* Lib. II. Carm. II. v. 115.

mergere, etsi tamen peritiores rem aliter se habere, non ignorarent. Locus vero ipse, vbi Apis mersus iaceret, vsque adeo a Sacerdotibus celabatur omnibus, vt illi, qui forte ea de re aliquid resciuisset, idque aliis reuelasset, poena constituta esset. *Non*, vt ait * quidam, Theologiae veterum gentilium longe peritissimus, *non exactam desiderat curam, quam is poenam constituerit Aegyptius in eum, qui publicasset, quibus* (supplendum videtur *oris*) *Apis iaceret absconditus.* Neque etiam locum illum, quantum quidem scio, veterum quisquam indicauit. Equidem ** SALMASIVS imaginatus sibi est, se locum illum inuestigando reperisse, nobisque ostendisse. Hariolatur nempe, fontem, quo Apis mergebatur, quem Plinius *sacerdotalem*, alii *sacrum* nuncupant, §. 10 re ipsa extitisse inter Syenen et Elephantinen, in confiniis Aegypti et Aethiopiae, et vocatum fuisse ab incolis *Nili venas.* Non libet, nec etiam vacat, rationes viri summi accurate euoluere, iisque presso pede inhaerere; verum diffiteri tamen nequeo, sententiam hanc mihi quidem videri ab omni veri specie prorsus abhorrere. Quid, an ad enecandum Apim, Sacerdotibus Memphiticis, tantum iter Syenen vsque erat suscipiendum? praesertim cum in diuersis vrbibus per Aegyptum, Sacerdotum Collegia in omnibus non admodum inter se consentirent. Vix ac ne vix quidem Sacerdotes Memphitici, rem hanc, quam suae cognitioni reseruatam vnice cupiebant, in tam longinquo itinere, et apud alios Sacerdotes, diu abscondere, alioque celare penitus potuissent. Non est, quod dubitare queam, fontem illum, vt Scriptores vocant, quo Apis mergebatur, prope admodum ab vrbe Memphi abfuisse.

* ARNOBIVS adu. gentes Lib. VI. p. 194.
** *Exercitat. in Solinum* cap. 32. p. 312. Edit. Belgic.

fuiſſe. Erat, vt mihi quidem perſuadeo, puteus aliquis, per quem in locum ſecretum, cadauer bouis demitti poterat, ſicuti per ſimiles puteos corpora humana in loca ſubterranea deſcendebant. Ignotum non eſt, puteos huius generis, in campis Memphiticis, prope vicum Sacaram, hodie inueniri plurimos, et a peregrinatoribus curioſis adiri. Ad puteum talem, Sacerdotibus bene cognitum; ſed aliis inacceſſum, arbitror Apidis enecati, et more conſueto conditi, cadauer deferri, perque illum in cryptas ſubterraneas demitti conſueuiſſe: aut forſitan ex Templo Apidis, ad locum qui ſepulturae eius clandeſtinae deſtinatus erat, ducebant meatus anfractuſque ſubterranei, per quos cadauer ſacrum deportari poterat. Locum hunc, niſi me ſententia fallit, peregrinatores nunc caſu quopiam detexerunt. * Inuenerunt nempe in monumentis antiquae Mempheos ſubterraneis, ad quae per puteum deſcendere oportet, arcas egregie fabricatas, auro coloribuſque variis inductas, in loco ſecreto, nec ita facile a quouis inueniendo, repoſitas, quae cadauer bouis medicatum, et aromatibus pretioſis conditum, per tot Seculorum decurſum aſſeruauerant. Licetne iam ambigere, haec eſſe cadauera Apidum, a Sacerdotibus Memphiticis olim in locis ſecretis, et a populi cognitione remotis, recondi ſolita.

§. 12. Sunt tamen etiam Scriptores, qui de Apidis ſepultura publica et ſolenni loquuntur, et locum, in quo corpus illius ſepeliendum reponeretur, ſine ambagibus indicant. ** *Erat* enim *Memphi Templum Serapidis antiquiſſimum, ad quod nec*

De publica et ſolenni Apidis, ante terminum conſtitu-

* Voiage dernier de PAVL LVCAS, fait en 1714. etc. To. I. p. 345.

** PAVSANIAS in *Atticis*, ſiue lib. I. c. XVIII. p. 42.

tum fato functi, sepultura.

nec peregrinis, nec ipsis adeo Sacerdotibus patebat aditus, nisi quando Apis sepeliendus esset. Rem hanc Graeci quidam, quod ipsis insolens non est, fabulis adsperſis ita inquinarunt, vt difficultatem fere pariat, verum in ea a falso recte discernere. Etenim * *secundum Aristippum, Apis Argiuus aedificauit Memphim. Aristeas vero addit, eum nominatum esse Sarapim, et esse eum, quem colunt Aegyptii. Nymphodorus porro ait, Apim Taurum, postquam vita functus et rite conditus est, tumulo inferri, inque Templo, vbi Deus hic colitur, deponi, et hinc vocari Sarapim, quasi* Σορόαπιν, *id est Apidis sepulchrum.* Si quis locum hunc cum antecedenti PAVSANIAE attente conferre dignatus fuerit, videbit, quomodo ex simplici veritate, fabulae oriantur atque confingantur multiplices, et quomodo Theologiam Aegyptiorum, Graeci, omnia ad res suas patrias contorquentes, commentis innumeris et plane insulsis, conspurcare soliti fuerint. Ad rem vt redeam, commemorat DIODORVS *Siculus*, ritus quosdam peculiares ab Aegyptiis, in sepultura Apidis antiquitus adhiberi solitos p. 86: *Animarum deductor Mercurius, pro veteri Aegyptiorum instituto, Apidis cadauer, ad certum vsque locum deductum, tradebat cuidam, cui cerberi* tricipitis *larua circumposita erat.* Obseruat idem p. 76. funus *Apidis* μεγαλοπρεπῶς, *magnifice et sumtuose* procurari. Alia quaedam huc spectantia, reperiuntur in PLVTARCHI libro *de Iside et Osir.* Scribit namque auctor praestantissimus p. 364: *Quae palam faciunt Sacerdotes, dum Apidis cadauer rate aduectum sepeliunt, a Sacris Bacchicis non valde remota sunt, nam et hinnulorum pelles sibi circumponunt, et thyrsos gestant, iisque vtuntur clamoribus et motibus, quibus Bacchico furore correpti, dum*

* CLEMENS *Alexandrinus*, Stromatum Lib. I. p. 322.

dum orgia peragunt. Et in eodem libro p. 362, ista legimus, *Memphi aereas quasdam portas, quae Lethes et Cocyti,* (id est obliuionis, et lamentationis) *appellantur, aperiri, cum Apim sepeliunt, grauem asperumque edentes sonum.* Templum illud, in quo Apis olim sepeliebatur, fuisse Serapidis, supra ex PAVSANIA intelleximus, qui et docet, illud aperiri non consueuisse, nisi quoties Apis sepeliendus esset. Et id ipsum PLVTARCHVS quoque non obscure significat, vbi refert portas illius Templi aereas, tum demum aperiri, quando sepelitur Apis. Auctor hicce portas aereas, siue Templi, siue Sacelli, quod sepulturae Apidis destinatum erat, collocat ἐν Μέμφει, *in vrbe Memphi.* Sed DIODORVS *Siculus* aedem hanc sacram extra Memphim; verum tamen prope illam vrbem ponit, in loco vbi Aegyptiorum funerationes peragerentur. p. 86. fin. Ad illum locum ait *cadauera nauigio transuehi* p. 87. 88. sicuti PLVTARCHVS etiam p. 364. testatur, *Apidis cadauer rate aduehi.* Pergit DIODORVS, nosque docet, prope hunc eundem locum, quem non immerito coemeterium vrbis Memphiticae dicere possis, *fanum* esse *Hecates tenebricosae*, de quo * alias nonnulla obseruaui, *et Cocyti Letheque portas aeneis vectibus obstructas.* Vides auctorem hunc illud idem Templum designare, cuius portas aereas tum aperiri obseruat PLVTARCHVS, cum sepelitur Apis. Sed de Templo hoc quaedam etiam capite iam secuturo, dicenda erunt. Ergo solenniter, spectantibus cunctis, Apidis cadauer sepeliebatur, in Templo prope Memphin et Pyramides, omnibus satis cognito. Quomodo vero haec conciliari posse putabimus, cum tauri illius sacri et caede et sepultura clandestina, omniumque cognitioni subtracta, quam

* Supra Lib. I. c. I. §. 13. et Lib. III. cap. IV. §. 7.

quam multis veterum teſtimoniis probauimus §. 11? Imo vero nullo negotio, et perquam facile, haec quae pugnare videntur, inter ſe et amice conciliabuntur. Nam vbi Apis terminum vitae ſuae ſtatutum attigiſſet, et viuendo ad nouam ἀποκατάσασιν, Solis atque Lunae, (§. 10.) peruenisſet, Leges Sacrorum non permittebant, vt diutius aetatem traheret. Violenta igitur morte a Sacerdotibus clam e medio tollebatur, et clandeſtina etiam ſepultura, cuius locum ignorabant omnes non initiati, prope Memphin donabatur. Quod ſi vero ante illud tempus morte naturali, aut caſu quopiam, abſumtus fuiſſet, manebat eum ſepultura ſolennis et honorifica, in qua rite procuranda * ſumtibus nullis parcere moris erat.

De Apide defuncto luctus inſtitutus publicus, nouusque ſollicite quaeſitus.

§. 13. Poſtquam viuere deſiiſſet Apis, confeſtim quaerebatur a Sacerdotibus alius, quem notae, in tauro ſacro requiſitae, (§. 5.) diuinae originis eſſe probarent, et dum ille inueniretur, prioris iacturam omnes per totam Aegyptum luctu proſequebantur continuo. SOLINVS vbi de Apidis termino et ſepultura dixiſſet, addit haec cap. 32: *Mox alter nec ſine publico luctu requiritur.* Ita fere etiam AMMIANVS loco ſaepius citato p. 245: *Apis cum poſt viuendi ſpatium praeſtitutum, Sacro fonte immerſus, e vita abierit, —— alter cum publico luctu quaeritur.* Hinc TIBVLLVS Lib. I. Eleg. VIII. de Nilo canit:

Te canit atque ſuum pubes miratur Oſirin
Barbara, Memphiten plangere docta bouem.

LVCIANVS luctum hunc Aegyptiorum ſuper Apidis morte, talem non ſine ſale et riſu depingit: ** Ὁ μὲν γὰρ Ἄπις ἂν ἀποθάνῃ, τις ἔτω περὶ πολλοῦ

* DIODORVS p. 76.
** *De Sacrificiis.* Opp. To. I. p. 359.

πολλῶ ποιεῖται τὴν κόμην, ὅσις ἂν ἀπεξύρησε, καὶ ψιλὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ πένθος ἐπεδείξατο. *Nam Apis si moriatur, quis suam caesariem tanti fecerit, vt non detondeat, et nudo capite luctum prae se tulerit.* Idem alibi: * Τὰς κεφαλὰς ξυρέονται, ὅκως Αἰγύπτιοι ἀποθανόντος Ἄπιος. *Capita detondent, vt Aegyptiis fatere mos est, mortuo Apide.* Durabatque luctus ille, donec nouus Apis repertus esset, qui priori rite succederet. Cum igitur aliquando Darius Hystaspides, Memphim peruenisset, ibique ** intellexisset, Aegyptios Apidem amissum luctu communi prosequi, promulgari iussit, se ei centum Talenta auri daturum, qui nouum Apidem adduxisset, vt sic nempe luctus totius illius gentis finiretur. Et eam ob causam mortuo Apide, alter qui eius locum occuparet, *** *operosa quaeri* solebat *industria. Nec tamen* is, si † PLINIO fides, *vnquam diu quaerebatur.* Et profecto Sacerdotibus, quorum in fingendis signis et notis, originem coelestem Apidis demonstrantibus, emitebat industria, taurus alius, priori similis, dummodo ipsi vellent, deesse nunquam poterat. Memoriae tamen proditum legimus, tempore Imp. Hadriani, Alexandriae †† *seditionem natam fuisse ob Apim, qui cum repertus esset post multos annos, turbas inter populos creauit, apud quem deberet locari, omnibus studiose certantibus.* Ad hunc locum illustrandum dici possent multa. Verum quia breuitatem sector, paucis monebo, hoc omne pependisse ex voluntate Sacerdotum, dummodo essent, qui arcana omnia religionis

* De Dea Syria Opp. To. II. p. 879.

** POLYAENVS Stratag. Lib. VII. p. 490. Edit. Casauboni Geneu.

*** AMMIANVS p. 245.

† Lib. VIII. c. 46.

†† SPARTIANVS in Adriano cap. 12.


image
not
available

mus, myſterium, quod ſub Apidis Numine latet, mere eſt hiſtoricum: volunt enim, veteres Aegyptios, in *Apide*, non minus, quam *Serapide*, memoriam coluiſſe Ioſephi, pii et felicis Patriarchae, vti et ſomnii, de pinguibus bobus, quod regi interpretatus eſt, ac beneficiorum maximorum, quae prouidentia ſua et cura in totam Aegyptum contulit. Et ſunt * viri doctiſſimi, qui pedibus in eorum ſententiam eunt, rationeſque nonnullas ſpecioſas proferunt, quibus aliquam opinioni ſuae ſpeciem conciliare queant; ſed profecto fruſtra. Nam ** Scriptura ipſa ſatis teſtatur, memoriam beneficiorum Ioſephi, apud Aegyptios, non admodum diu poſt obitum eius exoleuiſſe. Et cui quaeſo obſcurum eſſe poteſt odium inueteratum, quo Iudaeos proſequebantur Aegyptii, qui illos, quod *** hiſtoria Sacra etiam ſubinnuit, vere abominabantur, et † pro hominibus impiis, ac ſupremo Numini merito inuiſis haberi volebant? An credibile eſt, Sacerdotes Aegyptios, implacabiles Iudaeorum hoſtes, quod demonſtrari multis argumentis poteſt, virum gentis illius principem, ſummumque Protectorem, in ordinem Deorum ſuorum cooptaturos, eique in cultu publico, locum inter Numina Aegypti, tantum non primum (§. 2.) conceſſuros fuiſſe? Supponit porro haec ſententia, Aegyptios homines mortales,

* VOSSIVS de orig. Idol. Lib. I. c. 29. SPENCERVS de Leg. Hebr. Lib. III. p. 270. 271. etc. Adde BOCHARTVM Hieroz. Part. I. col. 336. 337. et WITSIVM in Aegyptiac. p. 312. 313. qui tamen ſententiae huic non fauent.

** Exodi II. 8.

*** Exodi VIII. 25. 26.

† DIODORVS *Siculus* in Eclogis ex Lib. XXXIV. p. 901. Edit. Wechel. et apud PHOTIVM in Biblioth. Cod. CCXLIV. col. 2049.

mortales, aliquo modo bene de ſe meritos, Deorum immortalium, a ſe cultorum, choro addidiſſe, iiſque diuinos pariter honores decreuiſſe. Verum hoc, quod eruditorum plerique ſibi perſuadent, ab Aegyptiorum moribus plane alienum fuiſſe, * alio loco multis oſtendimus. Neque etiam in omnibus iis, quae de Apide ſuo tradere ſolebant Aegyptii, et quae ſupra prolixe expoſui, Ioſephi Patriarchae, et geſtorum ab eo veſtigia vel leuiſſima deprehendere potui. Et idem, opinor, mecum exiſtimabunt omnes, qui rem hanc attenta ſua conſideratione et exploratione dignam arbitrati fuerint.

Idem ex rationibus temporum ſtabilitur, et euincitur.

§. 15. Pluribus aliis in cauſa hac argumentis conquirendis libenter ſuperſedeo. Sed vnum tamen eſt, quod omittere nolim. Quod ſi nempe Ioſephus Diuorum choro a Sacerdotibus additus fuiſſet, factum hoc eſſe oportuit, non ita diu poſt pii huius Patriarchae mortem, dum Ioſephi memoria regibus et primoribus Aegypti adhucdum grata et venerabilis erat, et dum beneficiorum eius magnorumque meritorum gens tota meminiſſe poterat. Poſt exitum vero Iſraëlitarum ex Aegypto, totius huius familiae recordatio qualiſcunque Aegyptiis non poterat non eſſe moleſta, quin imo deteſtabilis, quod etiam monumenta hiſtoriae vetuſtae ſatis teſtantur. §. 14. Iam vero, non modo veſtigia plane nulla extant, Ioſephi ab Aegyptiis diuinis honoribus donati, dum Iſraëlitae etiamnum in Aegypto haererent; verum probari etiam inſuper poteſt, Sacra Apidis, antehac incognita, aliquot demum Seculis, poſt exitum Abrahamidarum ex Aegypto, per Sacerdotes conſtituta, et ſic paulatim publice introducta fuiſſe. Certe, vbi in catalogo regum Aegypti, quem SYNCELLVS *Chronographiae* ſuae inſeruit, per-

* In *Prolegomenis*. §. 12. ad 21.

peruentum eſt ad regem XXXII, nomine *Aſeth*, SYNCELLVS, aut forte EVSEBIVS ipſe * hanc ſubiungit obſeruationem. *Hic* Aſeth *dies quinque totius anni circulum complectentes addidit: ac ſub eo annus, qui prius ſolis diebus* 360 *numerabatur apud Aegyptios*, 365, *vt ferunt, perfici coepit. Sub eodem vitulus inter Diuos relatus, vocatus eſt Apis.* Et obſeruationem hanc prorſus eſſe veram, ex ipſorum annorum ſerie et nexu, egregie ** haud ita pridem demonſtratum vidimus. Sub Aſetho igitur, qui annos regnauit viginti, ad antiquum Aegyptiorum annum, qui dies tantum 360 complectebatur, additi demum ſunt dies quinque, qui annum Aegyptiacum vagum abſoluunt. Factum hoc eſt, *** anno poſt exitum Iſraëlitarum ex Aegypto, 320, adeoque Seculo IV currente. Et ſi obſeruatio haec recte ſe habet, eodem fere tempore, Apis bos, ex Sacerdotum decreto, inter Deos Aegyptiorum relatus fuit. Id mihi ex eo etiam tanto fit veroſimilius, quod deprehenderim, nouum hunc Aegyptiorum Deum, a Sacerdotibus, ad nouam temporum et annorum conſtitutionem adaptatum atque accommodatum fuiſſe. Idcirco enim monuimus, boui huic ſacro, terminum viuendi annorum XXV praefixum fuiſſe, quod vna cum hoc termino, cyclus quidam annorum Aegyptiacus elapſus eſſet, nouuſque cum nouo Apide inchoaretur. §. 10. Ob eandem, vt credo, rationem, ſtatuerant Sacerdotes, vt in confiniis anni iam elabentis, nouique ineuntis, natales Dei huius celebrarentur, quod §. 20. 21. ad liquidum

* SYNCELLVS in Chronographia p. 123. EVSEBIVS in Graeco Chronico Scaligeriano p. 23.

** *Chronologie Sacrée* de Mr. DES VIGNOLES To. II. p. 668.

*** Vide *Panthei* huius Lib. II. cap. I. §. 16.

dum perducetur. Accedit ad haec, quod * vetus Grammaticus, ** quiſquis eſt, de inauguratione regum Aegypti, in Templo Apidis fieri ſolita, literis prodidit. *In Templo* *** *Apidis Memphi, mos fuit ſolio regio decorari reges, qui regnabant. Ibi enim Sacris initiabantur primum, vt dicitur, reges, ſatis religioſe tunicati: et Tauro, quem Apim appellant, iugum portare fas erat, —— et per vicum vnum duci. Deducitur autem a Sacerdote Iſidis* (forte ſcribendum *Apidis*, certe talem intelligit) *in locum qui nominatur Adytos, et iure iurando adigitur, neque menſem, neque diem intercalandum, quem in feſtum diem immutarent, ſed* CCCLXV *dies peracturos, ſicut inſtitutum eſt ab antiquis.* Vides Lector, reges Aegypti, in Templo Apidis, Memphi inauguratos fuiſſe, quod etiam † DIODORVS *Siculus* teſtatur, et tum iugum Apidis portaſſe per vnum vicum, ipſo ſine dubio praeeunte, ac deinde a Sacerdotibus in locum quendam, *adyton* dictum, fuiſſe deductum, vbi iure iurando promittere debuit, ſe formam anni antiquam, ad quam Sacra omnia conformata erant, ſine vlla mutatione ſeruaturum, nec intercalationem nouam quamcunque admiſſurum eſſe. An non quiuis videt, Sacra Apidis, ad nouam anni formam, a Sacerdotibus attemperata, et Deum hunc, anni Aegyptiorum vagi, quem et Sacrum nominare poſſis, Numen quoddam Tutelare conſtitutum fuiſſe? Haec omnia non obſcure docent, quod et Scriptores fide dignos teſtati

* *Scholiaſtes Germanici* in Aratea p. 120. Edit. Sant-Andr. de A. 1583.

** Vide FABRICII Biblioth. Latin. Vol. I. p. 391. in not.

*** in mea Editione legitur *Aegypti Memphis*, quod correxi, vt editum eſt.

† in HENRICI VALESII Excerptis Peireſcianis p. 354.

teſtari vidimus, anni vagi Aegyptiorum, a Sacerdotibus conſtituti, et Apidis honoribus diuinis donati, vnam eandemque eſſe epocham.

§. 16. Neque vero obieciſſe mihi iuuabit, Iſraëlitas conflando vitulum aureum in deſerto, idololatriam Aegyptiorum imitatos tantum fuiſſe, ex quo ſequatur, cultum bouis Aegyptiacum, exitu Iſraëlitarum ex illa regione, antiquiorem eſſe. Largior enim libenter, idololatriam Iſraëlitarum, vitulum aureum in deſerto fingentium et poſtea adorantium, imitationem tantum eorum fuiſſe, quae in Aegypto viderant, et ipſi forte perpetrauerant. Non inficias eo, Aegyptios iam diu ante boui ſupplicaſſe et ſacrificaſſe; verum nego, bouem illum fuiſſe noſtrum Apim. Exiſtimo antiquiſſimum bouis in Aegypto cultum, ſedem habuiſſe Heliopoli, quae vrbs etiam prima eſt in illa regione, * cuius tanquam Sacris idololatricis pollutae, Scriptura mentionem facit. Vulgo autem notum eſt, in illa eadem vrbe, bouem fuiſſe, religione Aegyptiorum priſca ſacratum, quem gens illa ſermone vernaculo *Mneuin* dixit, et de quo nos etiam cap. IV. huius libri quaedam diſſeremus. Bouem hunc auguror ſymbolicam fuiſſe temporibus antiquiſſimis imaginem Solis, ſumma religione Heliopoli ab omnibus culti. Et obſeruarunt etiam veteres conceptis verbis, ** taurum hunc in Aegypto Oſiridi, ſiue Soli, ſacrum fuiſſe. Tradunt quidem veteres, Deum illum Heliopolitanum *Mneuin*, exiſtimatione, celebritate ac honore, multum conceſſiſſe *Apidi*, Memphitarum tauro. Verum hoc de temporibus illis intelligendum eſt, quibus res Aegyptiorum Graecis perſpectae et familiares euaſerunt. Vti magnus

Reſpondetur obiectioni. Vitulus aureus, ab Iſraëlitis in deſerto cultus, proprie non fuit Apis

* Videri poſſunt *Prolegomena*, §. 9.

** Plura eam in rem attuli, in *Rempbah illuſtrato* p. 57. 58.

Heliopolitarum Deus, ΦΡΗ, *Sol*, ſimpliciter ita dictus, proceſſu temporis, poſtquam in pleraque Templa *Oſiris* admiſſus eſſet, a priſtina exiſtimatione, in qua fuerat apud omnes, non mediocriter defecit, ita quoque ſymbolica, ſed viua, eius imago *Mneuis*, multum de priori ſplendore amiſit, vbi ad adorandum *Apidem* tota ſenſim Aegyptus conſurrexit. Si PLINIO credimus Lib. XXXVI. cap. 8. *Ramiſes* rex Aegypti, *obeliſcum poſuit, vbi fuit Mneuidis regia*, et ſi * VIGNOLII noſtri calculos probamus, rex ille regnauit Heliopoli, annis circiter quinquaginta ante natiuitatem Moſis. Illa igitur iam aetate *Mneuis regiam* ſiue Templum habebat Heliopoli, quod fuiſſe *Solis Templum*, ſubinnuit AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XVII. p. 100. Ex quibus, iis quae dixi, lux affunditur non contemnenda. Obſeruari vero etiam meretur, quod PLVTARCHVS retulit, ** *ſecundum quosdam Mneuidem patrem haberi Apidis.* Id enim proprie intelligi nullo modo poſſe, ex iis quae §. 4 diſputauimus, clare pateſcit. Erat igitur locutio illa ſymbolica et allegorica, qua nihil aliud, niſi hoc ſignificatum fuiſſe arbitror, *Mneuidem* tempore antiquiorem et priorem extitiſſe *Apide*, et hunc priori poſtea ſucceſſiſſe, vt patribus filii ſuccedunt. Ignarus non ſum, aduerſus ea, quae hactenus de Apidis Mneuidiſque aetate aſſerui, non ſine magna ſpecie obiici poſſe, quod in Dynaſtia MANETHONIS ſecunda, quae dicitur *Thinitarum*, vti ab AFRICANO et EVSEBIO deſcripta eſt, legitur. Rex illius Dynaſtiae ſecundus vocatur *** *Caeachos*, vel, vt alii habent, † *Chous*, deque eo obſeruatur, quod *regnante*

* *Chronologie Sacrée* To. I. p. 728.
** *De Iſide et Oſir.* p. 364.
*** Ita ex AFRICANO Syncellus p. 54.
† Ita ex EVSEBIO idem nomen hoc deſcripſit p. 55.

gnante ipſo, Apis Memphi, Mneuis Heliopoli, et hircus Mendeſius, diuinis honoribus donati fuerint. Vixit autem rex ille Thinitarum, ſi calculis ſtamus MARSHAMI et VIGNOLII, aut ante, aut non ita diu poſt Abrahami natiuitatem, ac antequam Patriarcha hic proficiſceretur in Aegyptum. Hoc igitur, ſi res ita vere ſe haberet, meam ſententiam funditus euerteret. Duo hic occurrunt, quae mihi negotium faceſſunt. Nam 1) aſſeueratur, cultum Apidis in Aegypto, Seculis pluribus anteuertiſſe exitum Iſraëlitarum, et ipſo Abrahami in eam regionem aduentu eſſe antiquiorem. Ex eo quidem ſequeretur, Aegyptios in Apide non potuiſſe venerari memoriam Ioſephi, vt qui tam diu poſt lucem demum adſpexerit. Verum et id tamen ſequeretur, cultum Apidis multo eſſe antiquiorem, atque ego hic adſtruere anniſus ſum. Quod ſi ipſae MANETHONIS Dynaſtiae hodie ſupereſſent, totum hoc negotium, paucis, vt mihi perſuadeo, expediri poſſet. Verum nunc ea tantum habemus, quae ex iis AFRICANVS, et poſtea EVSEBIVS excerpſerunt, et quae ex his diu poſt, SYNCELLVS deſcripſit, ac in pauca contraxit. Ipſa SYNCELLI inſpectio vnumquemque confeſtim docebit, ab AFRICANO, ſaepe vehementer diſcrepare EVSEBIVM, ſuntque permulta ſane indicio ac documento euidenti, vtrumque pro lubitu Dynaſtias illas correxiſſe et mutaſſe, iiſque de ſuo paſſim, quae videbantur, addidiſſe, quod alios etiam poſt ipſos eorumque exemplo feciſſe, valde credibile eſt. In his igitur explorandis, caute verſari oportet, quod inprimis in additionibus, ex quarum numero et illa eſt, quam attuli, locum habet. Sufficit mihi, ipſum SYNCELLVM, quod §. 15 docuimus, forte ex EVSEBIO, aut AFRICANO, aut etiam ex ipſo MANETHONE, longe aliud tradere, Apidis nempe

cultum, exitu Iſraëlitarum ex Aegypto recentiorem eſſe annis pluſquam trecentis. Et probauimus, hoc rei ipſi longe melius congruere, et indiciis non paucis, egregie confirmari. 2) Ex eodem, quem hic examinamus, loco, aduerſus me legitime probari poſſe videtur, initia idololatriae in Aegypto, aduentum Abrahami in hancce regionem anteceſſiſſe, adeoque longe antiquiorem eſſe, quam ego concedi poſſe, * alio loco aſſeueraui. Multa equidem ad aſſerendam meam ſententiam, aduerſus iſtud teſtimonium, excipere ac reponere poſſem; ſed quae diſcuſſionem peculiarem et paulo prolixiorem poſcerent. Satis ergo mihi fuerit, reſpondiſſe, locum illum totum valde eſſe, et ſuo merito, ſuſpectum, et talia continere, quae cum hiſtoria conciliari bene omnino non poſſunt. Quare non poſſum non credere, haec ex auctoribus fidei ſubleſtae, ad Manethonis Dynaſtias adiecta, et inſuper res, de quibus ſermo eſt, et tempora, quibus quidque eveniſſe dicitur, oppido inter ſe confuſa et permixta fuiſſe. Non maiorem rationem habere poſſum alius traditionis, cuius meminit ARTAPANVS, antiquus rerum Iudaicarum Scriptor, ** Cephrenem, regem Aegypti, Moſi tempore aequalem, bouem Apim ad honores diuinos euexiſſe. Nam cum traditiones veterum hac de re, quas modo attulimus, ſibi inuicem e diametro repugnent, non tam ad traditiones ipſas, quam potius ad rationes, quibus vnaquaeque illarum nititur, attendendum nobis eſt.

Apis Symbolum fuit Nik, ſicut

§. 17. Cultus *Apidis* in Aegypto, non fuit hiſtoricus, cuius nempe fundamentum eſſet hiſtoria rerum a viro quopiam celebri geſtarum; ſed ſymbolicus, qualis

* In *Prolegomenis*, §. 5. ad §. 9.

** Apud EVSEBIVM Praep. Euang. Lib. IX. cap. 27.

qualis erat etiam cultus reliquorum Numinum Aegypti, qui ad rerum naturalium aut cauſas, aut effectus referebatur. Id profecto teſtantur omnia, quae de Apide a Sacerdotibus Aegypti perhiberi ſolita, ſupra fideliter retulimus. Quod ſi autem haec omnia recta lance expendo, ac inſuper vetuſta Monumenta, *Tabulam* praeſertim *Bembinam*, in ſubſidium voco, dubitare amplius non poſſum, *Apidem* in Theologia et cultu Aegyptiorum habitum fuiſſe Symbolum Sacroſanctum Nili, aut potius fertilitatis, quam fluuius hicce agris Aegyptiorum inducebat. Si ad rem hancce, ipſum bouis animal, quo Apidem ſuum repraeſentabant Aegyptii, ſpectare aſſeruero, nihil abſurdi aut a moribus veterum abhorrens dixero. *Bos* certe, aut *cornua bouina*, Poëtis vetuſtis, Graecis et Romanis, Symbola ſolent eſſe valde familiaria *fluuiorum*. De *Acheloo* fluuio, Deianira apud SOPHOCLEM in *Trachiniis* v. 11. ait, quod nonnunquam ſpeciem viri capite bubulo inſignis adſciuerit, ad quae haec notat *vetus Scholiaſtes:* Οἱ ποταμοὶ ταυρόκρανοι διετυπῶντο, ἢ ὅτι μυκηθμῷ ἐιτὶ παραπλήσιοι (ταύροις) περὶ τὰς ἐκβολάς. Ὅμηρος:

* Τὸν ἔκβαλε θύραζε μεμυκὼς ἠύτε ταῦρος.

ἢ ὅτι χίζουσι τὴν γῆν ὡς οἱ βόες· ἢ διὰ τὸ τὰς νομὰς παρὰ τὸς ποταμὸς ἔιναι. *Fluuii cum capitibus bubulis fingi ſolebant, vel quod, vbi ſe in mare effundunt, mugitum ſoleant edere, taurino ſimilem. Homerus de Achille ait:*

Hos eiicit foras, mugiens tanquam taurus.

vel quod tanquam boues terram arando ſcindant, vel denique, quod apud fluuios paſcere ament boues.

etiam boues olim aliorum fluuiorum.

* Iliad. Lib. XXI. 237.

Plurima exempla fluuiorum a Pictoribus Sculptoribuſque hunc in modum effingi ſolitorum, adducit AELIANVS Variar. Lib. II. c. 33. Et plura vtique, cum ex nummis, tum ex veterum teſtimoniis huc ſpectantia afferri poſſent, niſi hoc quicquid eſt, * a viris doctiſſimis dudum iam erudite illuſtrata deprehenderem. Vero autem perquam ſimile eſt, ſymbolicam hanc fluuiorum repraeſentationem, ab Aegyptiis ad Graecos peruenisſe, cum hinc quidem conſtet, Scripturam hieroglyphicam natam eſſe in Aegypto, illinc vero multis modis teſtatum ſit, vſum illius Symboli, de quo nunc diſſerimus, apud Graecos extitiſſe antiquiſſimum. Id igitur etiam Aegyptiis ſubinnuiſſe videtur *Apis*. Erat ſymbolica imago Nili. Inſuper vero etiam, per bouem pinguem, ** quales nobis deſcribuntur Aegyptii, et qualem ſemper fuiſſe Apidem, per ſe facile intelligitur, et in *Tabula* quoque *Bembina* ſcite depictum cernitur, videntur Aegyptii quoque ſubinnuiſſe fertilitatem terrae. Id enim ex ſomnio Pharaonis, Geneſ. XLI. 2. 18. 26. 29. non inepte colligitur. Et non parum hoc illuſtratur ex APVLEIO, qui Lib. XI. Metam. pompam Iſiacam deſcribit, vbi et hoc refert p. 262: *Erat et bos omniparentis Deae* (terrae) *foecundum ſimulachrum.* Neque PLVTARCHVS obſeruare hoc neglexit, *** *bouem ſymbolicam imaginem eſſe terrae* apud Aegyptios. Et Symbolum hoc † Orientalibus in vniuerſum oppido familia-

* SPANHEMIVS de vſu et praeſtantia Numiſm. Diſſ. V. p. 359. 360.

** ACHILLES TATIVS Eroticôn Lib. II. p. 99. PHILOSTRATVS de vita Apollon. L. I. c. VII. vbi addi poſſunt notae gallicae Dominî d' EMBRY p. 124.

*** *De Iſide* et *Oſir* p. 366.

† TH. HYDE de Relig. vet. Perſar. cap. IV. p. 114. 115.

familiare fuiſſe nouimus. Ex his igitur licebit nobis concludere, Taurum Sacrum Memphiticum, ex ſententia Sacerdotum Aegyptiorum, ſymbolice deſignaſſe Nilum fluuium, quatenus ille cenſebatur fertilitatis, quae Aegyptum beat et laetificat, cauſa proxima. Videtur id innuere fabula Sacerdotum de Apide myſtica, quam retulimus iam ſupra §. 4. Apim videlicet tum concipi, cum Luna lucem de ſe emittit genitalem, eaque tangatur vacca coitum appetens: Vnde et in Apide multa cernantur, figuris Lunae ſimilia. In hac fabula *Apis* mihi videtur ſignificare *Nilum*, cuius eſt ſymbolica imago. Generari is dicitur, quando Luna de ſe lucem genitalem emittit, quia credebant Sacerdotes, fluuium hunc poſt Nouilunium vernum incrementa polliceri, poſt Nouilunium vero aeſtiuum, re ipſa iam oſtendere. Βῶς ὀργῶντα, *vacca coitum appetens*, in fabula eadem ſubinnuere videtur terram Aegypti, Nili congreſſum appetentem. Verum id aliis quoque argumentis nunc communiamus.

Idem aliis argumentis confirmatur et illuſtratur.

§. 18. Id ergo argumento quoque erit, *Apidem* imaginem quandam fuiſſe *Nili* ſymbolicam, quod eum Sacerdotes *Oſiridi*, ſiue *Soli*, et *Lunae* ſacrum eſſe perhiberent. §. 3. Id enim ex Sententia Sacerdotum Aegypti, in fluuium ipſorum quam optime quadrat. Erat is *Oſiridi*, vel *Soli*, modo ſingulari conſecratus, vſque adeo, vt in Sacris quibuſdam, ipſius *Oſiridis* nomen acciperet, quandoquidem habebatur * illius effectus, et defluxus quidam nobiliſſimus. Simulatque Sol hemiſphaerium noſtrum ſuperius contigerat in aequinoctio verno, ** exiſtimabatur deſiderata fluuii incrementa diſponere iam et ordinare. Qui vero ad adſcenſionem fluuii huius,

* Vide *Panthei* huius Lib. II. cap. I. §. 4.
** Vide ibidem Lib. II. c. II. §. 7.

huius, oculis iam magis patentem, attendebant, affirmare consueuerant, * *omnem abscessus eius originem de Sole concipi, primosque fieri excessus tumores, cum per cancrum Sol vehatur.* Et in confesso est apud omnes, ** fluuii huius incrementa esse longe vberrima et maxime conspicua, cum Sol Leonem transit. Merito igitur *Apis*, imago quippe *Nili*, Soli erat singulari ratione dicatus sacerque. Eadem vero de causa, Taurus ille Memphiticus, *Lunae* pariter sacer, ac reluti proprius censebatur. Idque ipsum notae quaedam, quae Tauro huic inerant, diuinamque eius originem probare credebantur, omnibus videbantur manifestum facere. Erat inter illas vna, quae perhibebatur referre *** τὸ μηνοειδὲς τῆς σελήνης, quod PLINIVS Lib. VIII. c. 46. dixit, *candicantem maculam in dextro latere, cornibus Lunae crescere incipientis.* Plura de hac nota videri possunt §. 5. Haec Apidis nota diuersa non est, vt opinor, ab illa, quae teste AELIANO † *designabat adscensionem Nili.* Tradebant enim Sacerdotes, †† tempore stato, per Lunam crescere incipientem, Nilum commoueri, ac ad crescendum excitari. Secundum Aegyptios igitur, *Luna noua* causa erat incrementi Nilotici. Ex his quae disputauimus, satis iam patet, Solem Nili quodammodo patrem, matrem vero Lunam habitos fuisse. Cui doctrinae quid poterat esse conuenientius, quam vt *Apis*, viua *Nili* imago, vtrique, *Soli* et *Lunae*, sacer et veluti proprius haberetur?

§. 19.

* SOLINVS c. 32.
** *Pantheon* Lib. II. c. IV. §. 10.
*** AELIANVS de Anim. Lib. XI. c. X.
† loc. cit.
†† Vide *Pantheon* Lib. III. cap. I. §. 5.

§. 19. Ad ea quae obſeruauimus, alia etiamnum rei huius indicia et argumenta adiungi poſſunt, non minus luculenta. Talia ſunt, 1) quod inter ſigna, quae originem Apidis diuinam demonſtrare perhibebantur, eſſet etiam aliquod, quo Nili adſcenſus et incrementum ſubinnueretur. Dixi quidem §. 18, ſignum hoc mihi videri non differre a macula Lunae corniculantis; verum quomodocunque res haec ſe habeat, id ſaltem hinc abunde perſpicitur, Sacerdotes aliquod in Apide ſuo ſignum, ad hunc modum interpretatos eſſe, eoque ipſo, tauri huius ſacri, ad Nilum illiuſque incrementa relationem ſubinnuere conſueuiſſe. 2) Inter Traditiones Sacerdotales de Apidis Numine, et haec iactabatur, * Apidem, *ſi omnibus ſignis conſummatus repertus eſſet, vbertatem frugum, diuerſaque indicare bona.* Et habebatur ille etiam ** αἴτιος φορᾶς καρπῶν καὶ εὐετηρίας, *auctor vbertatis frugum, et fertilitatis totius anni.* Illam vero *vbertatem frugum* Aegypti incolae, a Nilo tantum in agros ſuos ſe effundente ſperabant atque expectabant. Hunc igitur fluuium, vti nec minus beneficia, quae ab eius adſcenſu regioni ſuae pollicebantur Aegyptii, Apide ſuo quaſi adumbrari, et diuinitus quodammodo obſignari, perſuaſi erant. 3) Quo vero indicio, Sacerdotes id quod hic adſtruo, luculentius teſtari potuerunt, quam quod vitulum ſuum ſacrandum, et iam iam honoribus diuinis donandum, omnium primo deducerent *Nilopolim*, ibique ad dies XL, a Sacerdotibus ſollicite ali iuberent? §. 6. *Nilopolis* vrbs Aegypti mediae, nomen traxerat a *Nilo*, Numine illic prae caeteris religioſiſſime culto. Erat igitur *Nilopolis* vrbs fluuio Nilo tota conſecrata, cultuique

Idem argumentum continuatur.

* AMMIANVS p. 245.
** AELIANVS de Anim. Lib. XI. c. X.

tuique eius vnice dicata. In huius vrbis Templo Apis initiabatur, et ad diuinos honores, quibus donandus poſtea erat, rite inaugurabatur, et ſic iam ab omnibus populis Aegypti adorandus ac ſacrificiis propitiandus, Memphim auehebatur. Quid? an non hoc argumento eſt, Apidem honorem ſuum omnem et ſplendorem, a Nilo mutuari, ideoque illi primum conſecrari, vt ei ſacratus, et quaedam eius imago factus, Aegyptiis omnibus adorandus rite proponi poſſet? 4) Neque vero id taceri hic debet, Apidem, poſtquam ſpatio plurium annorum, honoribus diuinis fruitus eſſet, et terminum vitae praeſtitutum attigiſſet, a Sacerdotibus necari et fonte quodam Nili ſacro mergi conſueuiſſe, §. 10. Fueritne id re ipſa factum, dixi in dubium vocari merito poſſe, §. 11; ſed ita tamen credere populum iubebant Sacerdotes, ideoque fabulis ipſorum myſticis ſacris accenſeri debet. Quo quidnam quaeſo innuere voluiſſe credi poſſunt? niſi hoc, Apidem honores diuinos, quos a Nilo mutuatus eſſet, eidem nunc morientem reddere, vt in ſucceſſorem eius transferri poſſent.

Apidis Natales eo celebrabantur tempore, quo Nili fluuii incrementa conſpicua fiebant.

§. 20. Verum id ante omnia, obſeruatione noſtra dignum eſt, quod Aegyptii Natales Apidis ſui, et primitias incrementi Niliaci, vbi nempe conſpicuum fieri iam coeperat, eadem anni tempeſtate celebrarent. Docet hoc AELIANVS illo capite, in quo Aegyptiorum de Apide Theologiam explicat, vbi et hoc addit: * Πομπὰς δὲ ἃς πέμπουσι καὶ ἱερουργίας (ſupple ἃς) ἐπιτελοῦσι τῷ νέῳ ὕδατος καὶ δχύμονος τὰ θεοφάνια θύοντες Αἰγύπτιοι, καὶ χορείας (ἃς) χορεύουσι, καὶ θαλίας ἢ πανηγύρεις ἃς ἐπιτελοῦσι· καὶ ὅπως αὐτοῖς καὶ πόλις ἅπασα καὶ κώμη δι' εὐφροσύνης ἔρχεται, μακρὰ ἂν εἴη λέγειν. *Iam*

* *De Animal.* Lib. XI. cap. X.

Iam vero quas pompas instituant, quae sacrificia peragant Aegyptii, cum nouae amnis alluuionis aduentum, tum Dei (Apidis) *exortum celebrantes, quas etiam saltationes tum agant, quae conuiuia agitent, quos conuentus habeant, quemadmodum denique omnes vrbes et vici immortaliter gaudeant, longum esset explicare.* Vides Lector, Aegyptios primitias noui incrementi Niliaci, et τὰ θεοφάνια, *memoriam ortus Apidis*, eodem tempore concelebrasse, ita vt vno veluti festo vtriusque beneficii memoriam peregerint. Nam per θεοφάνια δαίμονος, aut *ortum Apidis*, aut illius rei *memoriam solennem* significari, res ipsa satis indicat, cum eo loco AELIANVS de Apide tantum disseruerit. Et opportune succurrit locus HERODOTI, quo rem hanc eandem, et iisdem pene verbis persequitur Lib. III. c. 27: Ἀπιγμένῳ δὲ Καμβύσεω ἐς Μέμφιν, ἐφάνη Αἰγυπτίοισι, ὁ Ἆπις· —— ἐπιφανέος δὲ τούτου γενομένου, αὐτίκα οἱ Αἰγύπτιοι εἵματα ἐφόρεον τὰ κάλλιστα, καὶ ἦσαν ἐν θαλιῇσι. *Cum autem Cambyses Memphim peruenisset, Apis apparuit Aegyptiis:* —— *Quia autem is apparuerat, Aegyptii vestes induebant quam pulcherrimas, et conuiuia multa cum laetitia celebrabant.* Ipsi autem Sacerdotes, laetitiae communis rationem hanc apud eundem Scriptorem reddunt, ὡς σφι θεὸς παρείη φανείς, διὰ χρόνου πολλοῦ ἐωθὼς ἐπιφαίνεσθαι· καὶ ὡς ἐπεὰν φανῇ, τότε πάντες οἱ Αἰγύπτιοι κεχαρηκότες ἑορτάζουσι, *quod Apis modo ipsis aduenerit, sibique apparuerit, quod nonnisi post longum temporis interuallum fieri soleat, ideoque omnes laetam celebrent solennitatem.* Perspicuum est, AELIANVM ad haec HERODOTI verba alluisse, quando θεοφάνια δαίμονος, et institutas in honorem eius θαλίας ac πομπὰς, et ἱερουργίας, et χορείας, et πανηγύρεις commemorat. Eleganter autem ea, quae ex AELIANO nunc obserua-

ſeruauimus, natalem Apidis, et laetitiam Aegyptiorum, ob conſpectas primitias incrementi Nilotici, eodem tempore, et eadem ſolennitate conſueuiſſe celebrari, ex *Tabula Bembina*, illuſtrari iuxta, ac confirmari poſſunt. Nam in ipſo Segmenti ſecundi principio, oculis noſtris obiicitur *Apis*. Infra ipſum conſpicitur *Nilometrium*, de quo dubitare nemo poterit, qui figuram hanc, cum imaginibus *Mikiae*, vel *Nilometrii*, quod Cahirae hodieque viſendum eſt, inque * peregrinatorum quorundam itinerariis accurate depictum cernitur, conferre operae pretium putauerit. Ouum enim ouo ſimilius eſſe non poteſt, atque figura *Tabulae Bembinae*, Nilometrio Cahiriano. Nilometrium illud, de quo nonnulla ** antehac obſeruaui, quae *Tabulae Bembinae* aliquid lucis adferre poterunt, mihi luculento indicio eſt, deſignari hic aliquod Feſtum, in honorem Nili inſtitutum. Et Apis ſupra Nilometrium conſtitutus, ſatis nos admonet, eodem tempore, memoriam Apidis, ritibus religioſis ſolenniterque ab Aegyptiis fuiſſe celebratam. Quid? an non clare deſignatur ſacra illa Solennitas, cuius AELIANVM facere mentionem intelleximus?

Argumentum idem pluribus ex Tabula Bembina illuſtratur.

§. 21. Obſeruatum *** alio loco iam eſt, ſacram illam ſolennitatem, quae per *Nilometrium* ſubinnuitur in *Tabula Bembina*, a Graecis vocari Νειλῶα, id eſt *feſtum Nili*, eamque in Solſtitium aeſtiuum ingruiſſe. Quando vero cum hoc laetiſſimo Aegyptiorum feſto, AELIANVS coniungit Θεοφάνια Apidis, quod *Tabula Bembina* mirifice confirmat, quaeri non abs re poteſt, num non imago *Apidis*,

* Voiage troiſieme de PAVL LVCAS To. I. p. 322. MAILLET Deſcription de l'Egypte Part. I. p. 82.
** Lib. III. c. I. §. 15.
*** Lib. IV. c. I. §. 16.

Apidis, in Tabula illa, cum *Nilometrio* coniuncta, indicium ſit manifeſtum Natalium Apidis, in hoc ipſum tempus a Sacerdotibus coniectorum. Vt quaeſtioni huic rite ſatisfaciamus, duo obſeruaſſe non poenitebit. Et 1) quidem tenendum, θεοφάνια Apidis in Aegypto duplicis fuiſſe generis. Quaedam non celebrabantur, niſi *poſt longum temporis interuallum*, vt loquitur HERODOTVS, quando nempe Apide fato functo, alius nouus inuentus, priorique ſucceſſor datus eſſet. De his θεοφανίοις loqui HERODOTVM et SVIDAM, (vide §. 9. 20.) ambigi non poteſt. Alia vero, viuente etiamnum Apide, quouis anno celebrabantur, quo tempore incrementi Nilotici primitiae conſpiciendae iam erant, vt nos docuit AELIANVS §. 20, qui ſine dubio de his loquitur, non minus atque Scriptores alii, adducti §. 9. Et haec quidem θεοφάνια, niſi valde fallor, in *Tabula Bembina* contemplationi noſtrae obiiciuntur. Deinde 2) et hoc monendum eſt, videri mihi θεοφάνια Dei Apidis, ab eiuſdem natalibus nonnihil diſtuliſſe. Latius patebant bouis iſtius ſacri θεοφάνια, quam natales. Si arcanum ſenſum *Tabulae Bembinae*, hoc in loco diuinando recte aſſecutus ſum, totum illud ſpatium, quod in Segmento ſecundo, a figura Apidis, vſque ad Segmenti medium, quod Iſis occupat in throno ſedens, extendi videmus, ad θεοφάνια pertinet, finis vero huius ipſius ſpatii, natales Apidis nobis in imagine ſymbolica repraeſentat. Complectitur ſpatium hoc totum, tempus menſtruum, aut potius dierum XXIX. Tempus hoc auſpicatur *Apis*, quem Sacerdotes cura exquiſita et enixo ſtudio proſequuntur. An non id ſignificat, Aegyptios ea anni tempeſtate, Sacra huius Tauri ſolenniter celebraſſe? Et forte tempore eodem Apis naui in ſpeciem thalami conſtructa, quam veteres *baridem* nuncupant, Nilo vehebatur, popu-

populiſque oſtentabatur. Tale quid certe in Limbo, qui *Tabulam Bembinam* ambit, depictum cernitur num. 12. Et fieri potuit, vt ea de cauſa ſolennitatem hanc θεοφάνια, quaſi dicas *apparitionem Dei*, denominauerint. Ab hac figura *Apidis*, vſque ad imaginem *Iſidis*, in throno ſedentis, quae *Sothin*, ſiue *noui anni principium* deſignat, cenſebantur effluxiſſe dies XXIX. Nam *Apis*, cum infra conſtituto *Nilometrio*, ſignificat *Solſtitium aeſtiuum*, quod * alibi oſtendimus. *Iſis* vero hic in throno ſedens, quod modo nunc, et ** ſaepius antehac monuimus, repraeſentat *Sothin*, ſiue *ortum Caniculae*, a quo annum ſuum Aegyptii veteres auſpicabantur. A Solſtitio vero, vſque ad Caniculae ortum, numerantur *** dies fere triginta, aut vt VARRO de re Ruſt. Lib. I. cap. 28. dies XXIX. Pulchre hoc, ratione quadam myſtica, ſubinnuit *nodus*, quem etiam in *Tabula Bembina*, Apis ſub lingua habet, et quem veteres *cantharum* vocant, §. 5. Nam *nodus*, quem in *Tabula* conſpicimus, ex mente Sacerdotum repraeſentabat κάνθαρον, id eſt *Scarabaeum*. Ferebatur autem de Scarabaeo, traditio Sacerdotalis myſtica, † eum foetum ſuum, in quo efformando non aliter verſetur, atque Sol in producendo mundo, intra dies XXVIII. ad maturitatem perducere, et die XXIX in lucem edere. Nodus ille

* Lib. IV. cap. I. §. 18.

** Lib. I. cap. III. §. 14. Lib. III. cap. II. §. 5.

*** PLINIVS Lib. XI. c. 14. COLVMELLA de Re Ruſt. Lib. IX. cap. 14. et ante hos HIPPARCHVS Lib. II. ad Arati Phaenomena p. 212. Edit. Petauianae.

† PLVTARCHVS de Iſide p. 355. AELIANVS de Anim. Lib. X. c. 15. PORPHYRIVS de Abſtin. Lib. IV. p. 376. et prae ceteris videndus HORAPOLLO Hieroglyph. Lib. I. c. 10. et CORN. a PAVW in notis ad eum.

ille itaque myſtice nobis hic ſubindicat, a Solſtitio verno, vſque ad ortum Caniculae, * quem Sacerdotes natalem mundi nuncupare ſolebant, dies intercedere XXVIII, et diem XXIX, eſſe ortum Caniculae, ſeu mundi natalem. Illa igitur effigies *Tabulae Bembinae*, quae *Apidem* nobis exhibet, deſignat quidem illius θεοφάνια, at non natales, quippe qui in finem demum huius interualli dierum XXIX incidunt, et notam quoque characteriſticam prae ſe ferunt, in qua, ſi recte attendatur, aberrari non poteſt. Nam in imagine, quae eſt ab Apide noſtro tertia, in Editione autem Amſtel. Friſii, litera X deſignatur, repraeſentatur Aegyptiorum *Thoth*, ſiue *Mercurius* ſedens, corporique caput Ibidis alitis ſuperadditum habens. Sellae cui inſidet, duo crocodili placide et tranquille ſubiacent, quod in tam fera beſtia ſane mirandum eſt. Quae ad iſtam imaginem LAVR. PIGNORIVS, vir praeclarae eruditionis laude minime defraudandus, eſt commentatus, parum profecto lucis illi affundunt. Illud tamen p. 43 bene omnino et opportune monuit: *Inter Ibin et crocodilum, ea intercedit ἀντιπάθεια, vt ſolo Ibidis pennarum contactu (ſi Aeliano credimus) crocodilus ſtatarius fiat.* Bene haec, inquam, [illegible] etiam de *Tabula Bembina* optime meritus, et opportune obſeruauit. Nam in imagine noſtra, Mercurius *Ibidis* caput gerit, et ſellae eius ſubiecti crocodili placide quieſcunt. Sed AELIANI de Anim. Lib. X. caput 10, quod memoriae fidens citauit, id quod volebat vir egregius, non probat. Ibi enim nihil, quod huc referre poſſis, deprehendere licet. In mente omnino habuit haec HORAPOLLINIS de crocodilo verba Lib. II. cap. 81: Κροκόδειλον, ἐὰν ἴβεως πτερῷ θιγῇς, ἀκίνητον αὐτὸν εὑρήσεις. *Crocodilum*

* Vide *Pantheon* hoc Lib. III. cap. II. §. 6. 7.

codilum ſi Ibis penna tangas, immotum deprehendes. Hoc de Ibide et crocodilo populum credere iubebant Sacerdotes. Cum igitur hic videamus, Ibidi crocodilos pacate et placide ſubiacere, ſatis admonemur, crocodilos hos, depoſita omni feritate, cenſeri hic manſuetos et pacatos. Hoc vero aio certiſſimum eſſe natalium Apidis ſignum atque Symbolum. Supra enim, §. 9, didicimus ex PLINIO, Aegyptios iactare, *per ſeptem dies, quos natales Apis habent, crocodilos miteſcere, neminemque attingere.* Plura etiam ex aliis Scriptoribus, in ſenſum eundem, addidimus eodem loco. Et hi quidem dies, erant dies vniuscuiuſuis anni vltimi, quod *Bembina Tabula*, vti eam nunc explicui, per ſe docet. Videntur id quoque confirmare verba PLINII, qui loco iam citato, prioribus haec ſubnectit: *Octauo die poſt horam ſextam redit belluae feritas.* Nam et alibi idem docet Lib. X. c. 2. nouum annum *circa meridiem*, vel, quod plane idem eſt, *hora ſexta* incipere. Id eum igitur, in loco paulo ante allato, etiam ſignificaſſe auguror. Poteſt id ipſum ex eo quoque illuſtrari, quod ſupra obſeruauimus, §. 10, 12, 13, Apidis noui inaugurationem, ſemper cum nouo periodo annorum XXV initium ſumſiſſe.

In illuſtranda Tabula Bembina pergitur.

§. 22. Supereſt, vt exponam, cur in *Tabula Bembina*, Feſtum *Niloorum*, per *Nilometrium* innuatur, et cum illo *Apis* coniungatur, quod ratione ſua cauere non videtur. Dixi, *Nilometrium*, id eſt, *menſuram Nili*, nempe adſcendentis, Symbolum eſſe Feſti *Niloorum*, quod * circa Solſtitium aeſtiuum celebrabatur. Dies ille ſolſtitialis, in anno Aegyptiorum fixo, eſt Dies XII vel XIII menſis *Payni*, qui reſpondet *Iunii* noſtri diei XVII vel XVIII. Dies ille Aegyptiis ab antiquo, in hunc vſque diem maxime

* Vide ſupra, Lib. IV. c. I. §. 16.

xime feſtus, ac ſolennis fuit. Ab eo die, etiam nunc Aegyptii, in Liturgiis ſuis, quae tamen aeui ſunt vetuſtioris, * preces has Deo offerunt: *Dignare* o Deus, *fluuios plenitudine aquarum: benedic illis, fac vt adſcendant ſecundum menſuram ſuam.* Et talia etiam, cultores idolorum, eodem anni tempore, olim a Diis ſuis petiiſſe, quis dubitet? Hac nempe anni tempeſtate, *plenitudo fluuii*, et Nili adſcendentis *menſura* iuſta, vnica erat, aut certe praecipua, Aegyptiorum cura atque ſollicitudo. Illud cogitationibus ſuis continuo voluebant et reuoluebant, id a Diis quotidie precabantur. Et ex *Nilometriis*, Memphi, ac aliis etiam in vrbibus, conſtructis, quale hodienum Cahirae ſupereſt, aeſtimare poterant, num Nili adſcendentis menſurae, ſpei ſuae ac expectationi reſponderent. Ideo hic in *Tabula Bembina*, videmus *Nilometrium* delineatum. Et illud quidem, quod hic nobis repraeſentari videmus, *Nilometrium*, facile quiuis videt, fuiſſe portatile, imaginem quandam et imitationem veri *Nilometrii*, quae geſtari manibus, in Pompis Niliacis publice circumferri, populoque oſtentari poterat. Meminerunt eius etiam veteres, eoſque inter RVFFINVS Hiſtor. Eccleſ. Lib. II. c. 30. ſic de eo ſcribit: *Moris erat in Aegypto, vt menſura adſcendentis Nili fluminis, ad Templum Serapis deferretur, velut ad incrementi aquarum, et inundationis auctorem. —— Et ideo vlna ipſa, id eſt aquae menſura, quam πῆχυν vocant, ad aquarum Dominum in Eccleſiam coepit deferri.* Verum quoniam haec vlna, vel menſura Nili adſcendentis, Alexandriae in Serapidis Templo aſſeruari ſolebat, eique idcirco ſingulari modo ſacrata fuiſſe videtur, plura hac de re dicere in ſequens caput, quod dicatum eſt Serapidi, diſtulimus. Ita res ſe habebat

* Vide *Miſcellanea Berolinenſia*, To. VII. p. 431.

Alexandriae, vbi Deorum omnium ſummus et maximus erat Serapis. Multa vero ſunt, quae mihi perſuadent, Memphi vlnam illam, tempore quidem autumnali, hyberno, et verno, repoſitam manſiſſe in Templo Serapidis priſci; ſed ſub aeſtiuum Solſtitium ex illo Serapidis Templo, ad Templum Apidis deferri conſueuiſſe, vnde ſaepius depromebatur, quoties Sacra Aegyptiorum et ſolennium Pomparum rationes id requirebant. Menſe vero Octobri vlna eadem in aedem Serapidis reducebatur, et illic nemini viſa, vſque ad ſequentem aeſtatem recondita latebat. Prius, vlnae nempe ex Templo Serapis in Apidis aedem deportatio, vt mihi quidem perſuadeo, *Tabula Bembina* indicat, in principio Segmenti ſecundi. Poſterius vero, vlnae videlicet in Serapis Templum reductio, adumbratur in Segmenti eiusdem fine. Hanc opinor eſſe rationem, ob quam cum *Nilometrio* coniunctum *Apidem* in *Tabula Bembina* cernamus.

Nomen Apis ex vetuſta Aegyptiorum lingua explicatur.

§. 23. Hiſce iam obſeruatis et rite conſtitutis, difficile non erit, *Apidis* nomen ex antiqua Aegyptiorum lingua interpretari. Graeci moribus ſuis inhaerentes, *Apidem* Memphitarum Deum, cum *Apide* ſuo Argiuo, vel cum *Epapho*, Ius ex Ioue filio, quem ſecundum quoſdam mater in Euboea, ſecundum vero alios, in Aegypto, enixa eſſe dicitur, eundem eſſe volunt. Verum fabulam iſthanc graecanicam, ab Aegyptiis conſtanter reiici, eoque rationem illius haberi nullam poſſe, AELIANVS ipſe Graecus, iam dudum obſeruauit Lib. XI. cap. X. Eam igitur et nos, vbi de interpretatione nominis ſumus ſolliciti, miſſam faciamus. Aliquando nomen *Apis*, non melius deduci poſſe exiſtimaui, quam a voce Aegyptiaca ϩHB I, *habi*, quae *lugere* et *luctum* ſignificat. Vide Matth. V. 5. Marc. XIV. 10. Apocal. XVIII. 11. Et iſtius originationis haec nobis

nobis obuerſabatur ratio, quod, cum Apis fato functus eſſet, nouus ſemper magno cum *luctu* quaeri ſoleret, quod plurimis veterum teſtimoniis probauimus § 13. At fateri tamen oportet, luctum Aegyptiorum magis ad Taurum illum ſpectaſſe, qui iam non amplius exiſtebat, quam ad eum, qui omnium Aegypti populorum maximum ac venerabile inprimis Numen erat. Hic potius maxima cum laetitia, inter epulas et tripudia, a cunctis excipiebatur. Et norunt etiam eruditi, non *Apidis* tantum; ſed et * pleraque alia Numinum Aegyptiacorum Sacra, luctu conſtitiſſe: vt proinde is *Apidis* Numini proprius et peculiaris vtique non fuerit. Quando igitur imaginem *Apidis*, ſupra *Nilometrium* conſtituti, quae in *Tabula Bembina* bis occurrit, meditate contemplor, ita iudicare cogor, *Nilometrium*, in quo gradus Nili adſcendentis numerari poterant, Symbolum *Apidis*, et aliquod eius inſigne fuiſſe, ex quo forte vera Numinis illius ratio, quam optime perſpici, et nomen quoque eius non incommode explicari poſſit. Nempe HPI, *Api*, Aegyptiis dicitur *numerus*, eaque vox in Coptorum libris vbique occurrit. Eadem voce deſignatur etiam σύνταξις, Exod. V. 8. 11. 14. 18. quod interpres vulgatus illic vertit *menſuram*. Hinc crediderim deducendam eſſe vocem ⲠⲒ-ϢⲒⲠⲒ, *Pi-o-ipi*, vel *oipi*, quae certum aliquod *menſurae* genus deſignat Leuit. V. 11. VI. 20. Numer. V. 15. Hebraei, qui forte id menſurae genus ab Aegyptiis acceperunt, ſcribunt אֵיפָה, *Epha*, vbi interpretes Alexandrini plerumque habent ὀιφὶ, et ὀιφεῖ, quod propius ad typum

* PLVTARCHVS *de ſuperſtitione* p. 171. et *de Iſide* p. 379. DIODORVS p. 74. APVLEIVS de Deo Socratis p. 49. AELIANVS de Anim. Lib. X. c. 23.

vocis Aegyptiacum accedit, nonnunquam vero vocem eandem interpretantur μέτρον, *menſuram*, quod vocem Aegyptiorum etymologice exprimit. A voce ⲎⲠⲒ eſt ϭⲓ-ⲎⲠⲒ, vel ⲰⲠⲒ, *numerare*, ϥⲓ-ⲰⲠ, *computare*, aliaque ſimilia. Poterat igitur quam commodiſſime *Nilometrium* Aegyptiis dici ⲎⲠⲒ, *Api*, ſive *numerus* et *menſura*. Etenim * *Nilometrium exhibebat lineas, interuallo cubitali a ſe inuicem diſtantes — — vt Nili tum incrementa, tum etiam diminutiones, indigenis monſtrarentur, qui NVMERO tectarum, per aquas Nili, aut nudatarum linearum, rationem exundationis aut defectus aquae METIRI poterant.* Et idem nomen conueniebat quoque optime Numini, in cuius tutela erat et Nilus ipſe, et ſigillatim *Nilometrium*, in quo Aegyptii gradus adſcendentis et decrescentis Nili numerare poterant et ſolebant, quaſi diceres *Deum menſurae Nili.* Quod ſi etiam quis exiſtimauerit, nomen hoc Dei Apis, ei tributum quoque fuiſſe, reſpectu anni ab Aegyptiorum Sacerdotibus conſtituti, et numeris ſuis circumſcripti, quippe cuius ille habebatur Numen tutelare, §. 15, me non habebit ſententiae huic refragantem. Priorem tamen interpretationem non poſſum non praeferre.

* HELIODORVS Aethiop. Lib. IX. p. 443. Edit. Bourdel.

CAPVT III.

De Serapi terreſtri vel Nilotico, antiquiſſimo Aegyptiorum Deo.

Serapis, Deus Aegyptiorum antiquiſſimus, coeleſtis partim erat, partim Niloticus. De poſteriori hic agimus. §. 1. Serapis hic Memphi Templum habebat oppido vetuſtum, in quo ſepeliebatur Apis. Templi illius ſitus et locus excutitur. §. 2. Serapis hic ad Nilum referebatur, eumque adumbrabat. §. 3. Deo huic ſacrum ſingulari modo, inque eius tutela erat Nilometrium, vlna cubituſque Nili. Nilometrium deſcribitur. §. 4. De Nilometrio portatili, ſiue vlna cubitoque Nili. §. 5. Nilometria ſingulari ratione Serapidi fuiſſe ſacrata, probatur. §. 6. Teſtimonia hanc in rem adducta, reſpiciunt non tantum Serapim Alexandrinum; ſed et antiquiorem Memphiticum. § 7. Eum in finem noua Pauſaniae explicatio offertur, et pluribus illuſtratur. §. 8. Res eadem alio argumento corroboratur. Nilometrium Memphiticum poſitum erat in Templo Serapidis in inſula. §. 9. Aliud ad probandam rem eandem argumentum adfertur. §. 10. Interpretatio nominis Serapis ex lingua Aegyptiaca, ſuppeditata a Plutarcho, examinatur. §. 11 Noſtra nominis eiuſdem interpretatio proponitur. §. 12. Oſtenditur, quomodo ex vno Serapi vetuſtiſſimo, ſucceſſu temporis duplex enatus fuerit. §. 13.

§. 1.

Serapis Aegyptiorum Deus antiquiſſimus, erat par-

Apidi ſubiungimus iam *Serapim*, vel, vt Graeci omnes ſcribere ſemper ſolent, *Sarapim*. Huic enim cum priori magnam interceſſiſſe cognationem, multaque fuiſſe communia, * plurima

 ſunt,

* Videri poteſt *Pantheon* hoc Lib. II. c. V. §. 8. et Lib. IV. cap. II. §. 12. 22.

tim coeleſtis, partim terreſtris Niloticus. De poſteriori hic agitur.

ſunt, quae teſtantur. Vtriuſque Numen ad Nilum referebatur, ac fluuii huius fertilitatem ac beneficia ſymbolice adumbrabat. Erat autem Serapidis in Aegypto Numen multiplex. Ptolemaeus enim Lagides, ſiue Soter, Serapidi, Deo, vt vulgo creditur, Pontico, Alexandriam tranſlato, in vrbe hac regia Templum inuidendae magnitudinis et ſtructurae mirabilis, dedicari curauit, eique ritibus vt plurimum graecis ſacra fieri iuſſit. Dei huius aduenae et recentis cultus, mox Aegyptum totam; ſed et Graeciam ipſam, ac Latium, peruagatus eſt, ac illuſtris valde inter Graecos euaſit. Etſi vero cultus Dei huius aduenae, peregre in Aegyptum accitus eſſet, nomen tamen ille accepit Dei, ab antiquo tempore in Aegypto, Memphi cumprimis, religioſe culti et adorati, *Serapidis*. Deus hic Memphitarum peruetuſtus, referebatur partim ad Solem, haerentem nempe et latentem in hemiſphaerio infero, ideoque recte eum dici poſſe *coeleſtem*, monuimus Lib. II. cap. V, vbi Numen eius, quale id cogitationibus fingerent Aegyptii, ſatis, vt opinor, explicui. Partim vero idem referebatur ad *Nilum*, cuius et procedente tempore, Symbolum habitus eſt, eoque nuncupari ille commode poteſt *terreſtris* et *Niloticus*, de quo nunc nobis differendum eſt.

Serapis hic Memphi Templum habebat vetuſtum, in quo ſepeliebatur Apis. Templi illius ſitus et locus excutitur.

§. 2. Serapidis huius, de quo loquimur, Templum longe antiquiſſimum, Memphi conditum, PAVSANIAS commemorat. Verba eius haec ſunt: * *Apud Aegyptios Serapidis Templa, clariſſimum quidem habent Alexandrini, antiquiſſimum vero Memphitae, ad quod neque peregrinis, neque adeo Sacerdotibus ipſis aditus patet, antequam Apim ſepeliant.* EVSTATHIVS doctus *Dionyſii Periegetae* interpres, affirmat Templum illud ſitum fuiſſe in Monte Sinopio prope

* in *Atticis*, vel Lib. I. c. XVIII. p. 42.

prope Memphim. Ita enim ad illius Poëtae v. 255 commentatur: Σινωπίτης Ζεὺς, ὁ Μεμφίτης, Σινώπιον γὰρ ὄρος Μέμφιδος. *Serapis, quem Poëta Iouem Sinopiten dicit, eſt Memphiticus. Nam Sinopium eſt Memphiticus mons.* Colebatur ergo Serapis priſcus Aegyptiorum Deus Memphi, aut prope Memphim, in monte, dicto *Sinopio*, ſi modo EVSTATHIVS id quod hic refert, ex fontibus limpidis ac certis hauſit, aut etiam mentem Scriptoris, quem ſecutus eſt, recte percepit. Credi poſſet STRABO hoc ipſum Serapidis Templum deſcribere voluiſſe, vbi de Memphi, lociſque vrbi huic vicinis loquitur. Sic enim is Lib. XVII. p. 555: Ἔστι δὲ καὶ Σεράπειον ἐν ἀμμώδει τόπῳ σφόδρα, ὥϑ' ὑπ' ἀνέμων ϑίνας ἄμμων σωρεύεϑαι, ἀφ' ὧν αἱ σφίγγες, αἱ μὲν μέχρι τῆς κεφαλῆς ἐωρῶντο ὑφ' ἡμῶν κατακεχωσμέναι, αἱ δ' ἡμιφανεῖς. *Eſt etiam Serapeum*, (vel Fanum Serapidis) *in loco valde arenoſo, adeo vt quidam arenae colles a ventis exaggerentur: ibi vidimus Sphynges, alias quidem vſque ad capita obrutas, alias vero dimidia tantum ſui parte eminentes.* Et * ſuperſunt hodieque in illa regione, quam deſcribit STRABO, rudera tenuia Templorum, dudum iam vna cum ipſa vrbe Memphi, deſtructorum, veroque non parum ſimile eſt, occurrere inter illa reliquias etiam *Serapei*, cuius auctor laudatiſſimus meminit. Si tamen rem omnem recte et meditate excutio, adduci non poſſum, vt credam, *Serapeum* STRABONIS eſſe antiquiſſimum illud Serapidis Templum Memphiticum, in quo cadauer Apidis ſepeliri conſueuiſſe, ex PAVSANIA diſcimus. Hoc ſane trans Nilum, in parte Aegypti Orientali, aut potius in Inſula quadam Niliaca, prope Memphim, aedificatum fuiſſe videtur. Docent enim nos ** Scri-

 ptores

* MAILLET Deſcription de l'Egypte, Tom. I. p. 282. 283.
** Vide Libri huius cap. II. §. 12.

ptores optimi, cadauer bouis Sacri fato functi, naui ad Templum illud, in quo reponebatur, vehi debuiſſe. Nilum igitur traiicere, ratemque aut ad alteram fluuii illius ripam, aut ad inſulam aliquam, quales illic dantur plures, appellere oportuit. Vt vero ſententiam meam hac de re profitear, opinor, Templum Serapidis ſtetiſſe in illa Nili inſula prope Memphim, in qua *Nilometrium*, vti hodie, ita olim quoque viſebatur, aut potius illic loci, in Serapidis Templo, celeberrimum quondam illud Memphitarum *Nilometrium*, vel, vt alii loquuntur, *Niloſcopium* fuiſſe conſtructum. Eo me ducunt veſtigia quaedam non ita obſcura, in lingua veterum Aegyptiorum reperiunda, quae mox in lucem proferam. Antequam vero id aggrediar, oſtendendum mihi in anteceſſum erit, Serapidis Sacra a vetuſtis Aegyptiorum Theologis, ad Nilum fluuium relata potiſſimum fuiſſe.

Serapis hic ad Nilum referebatur, eumque adumbrabat.

§. 3. Serapidis Sacra ſpectaſſe ad Nilum, eiusque incrementa, ſatis nos docet SVIDAS, diligens veterum Scriptorum, etiam diu deperditorum lector, qui ex iis plurima adfert, quae alioquin ignorare nos oporteret. Ita autem is in voce Σάραπις. Τοῦτον οἱ μὲν Δία ἔφασαν εἶναι, οἱ δὲ τὸν Νεῖλον, διὰ τὸ μόδιον ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ τὸν πῆχυν, ἤγουν τὸ τοῦ ὕδατος μέτρον. *Serapim quidam dicunt eſſe Iouem, alii vero eum interpretantur Nilum, eo quod in capite modium geſtet, vel calathum, et cubitum, ſiue menſuram Nili adſcendentis.* Quod ad *modium*, vel *calathum in capite* attinet, illum * Dei huius ſigna, ſtatuae, imagineſque omnes exhibere ſolent, etſi non ſemper eadem ratione effictum. Quidnam modius

* Vide praeter alios *l' Antiquité expliquée* de MONTFAVCON Tom. II. Planche CXXII. et CXXIII. Vide et Planche CLII. et CLIII.

modius ille in capite Serapidis innuat, non vna eſt omnium ſententia, vel potius coniectura. Simpliciſſima vero, ideoque tritiſſima, ac, vt ego quidem opinor, veriſſima eius eſt haec interpretatio: * *Calatho notatur copia rerum, quam Serapis mortalibus ſuppeditat.* Modio enim metiuntur frumenta, ideoque commode is ſignificat copiam et vbertatem frugum. Et forte modius in Serapidis capite, illud menſurae genus deſignat, quod Aegyptios dixiſſe ωιπι, *O-ipi*, monuimus ſupra Libro hoc, cap. II. §. 23. Ita RVFFINVS Symbolum hoc Dei Aegyptii interpretatur, Hiſt. Eccleſ. Lib. II. c. 23. *Serapis capiti modius ſuperpoſitus —— quia indicet, vitam mortalibus frugum largitate praeberi.* Vnde vero frugum, bonorumque omnium copiam expectare ſolebant Aegyptii, niſi a Nilo? cap. I. §. 13. et ab Apide, quia ille Nili habebatur Symbolum. cap. II. §. 18. Qua ratione vero Deo eidem tribuatur *cubitus*, vel *menſura Nili adſcendentis*, quam Scriptores etiam vocare ſolent *vlnam*, id mox §. 5. 6. explicabimus. *Serapim* igitur Theologi Aegyptiorum, eundem cum Nilo eſſe volebant, certa nempe quadam ratione, aut eum incrementis fluuii ſui veluti praeſidere perhibebant. Ex eorum igitur placitis hoc de Serapi tradit ARISTIDES Rhetor: ** ὗτος ἄγει Νεῖλον ὥρᾳ θέρους, ὗτος χειμῶνας ἀναχαλᾷ. *Serapis eſt, qui tempore aeſtiuo facit, vt Nilus excreſcat. Idem tempeſtates coortas reuocat.* Et conſimilem in modum RVFFINVS loc. cit. obſeruat: *Alii Serapim putant virtutem Nili fluminis, cuius Aegyptus opibus et foecunditate paſcatur.* Cui alius

* MONTFAVCON vbi ſupra p. 297.

** Oratione *in Serapidem* circa fin. fol. 101. Edit. graec. Flor.

alius eiuſdem Scriptoris locus iungi poterit, mox adferendus §. 6. SOCRATES quoque memoriae prodidit Hiſt. Eccleſ. Lib. I. c. 18. Aegyptios gloriari, *Serapim eſſe, a quo Nilus ad irrigandos Aegypti agros adduceretur.* Idque confirmari videmus, * nummo Alexandrinorum egregio, in cuius latere altero, Nilus, ſub imagine Senis iacens ſiſtitur, in capite modium gerens, hinc porro cornu copiae tenens, illinc vero ramum praeferens illius ** iunci, vt videtur, quem Aegyptii appellabant *Sari*, addita hac inſcriptione, DEO SANCTO NILO. Alterum latus caput Serapidis exhibet, cum calatho, vel modio, et iſta inſcriptione: DEO SANCTO SERAPIDI.

Deo huic ſingulari modo ſacrum, inque eius tutela erat Nilometrium, vti et vlna cubituſque Nili. Nilometrium deſcribitur.

§. 4. Verum ſingulari plane ratione, quod tamen ex dictis per ſe quodammodo conſequitur, Deo huic Serapidi ſacrum dicatumque erat *Nilometrium*, ſiue *menſura Nili* adſcendentis, et in agros Aegyptiorum ſe effundentis. Huiuſmodi *Nilometria* in pluribus Aegypti, tum ſuperioris, tum inferioris, tum mediae, vrbibus conſtructa erant, inter quae celebritate eminebat Memphiticum. De hoc quidem DIODORVS *Siculus* iſta memoriae prodidit: *** Διὰ τὴν ἀγωνίαν, τὴν ἐκ τῆς ἀναβάσεως τῶ ποταμῶ γινομένην, κατεσκεύασαν Νειλοσκοπεῖον ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐν τῇ Μέμφει. Ἐν τούτῳ δὲ τὴν ἀνάβασιν ἀκριβῶς ἐκμετρῶντες οἱ τὴν τούτου διοίκησιν ἔχοντες, ἐξαποστέλλουσιν εἰς τὰς πόλεις ἐπιστολὰς, διασαφῶντες πόσους Πήχεις ἢ πόσους δακτύλους ἀναβέβηκεν ὁ ποταμὸς, καὶ πότε τὴν ἀρχὴν πεποίηται τῆς ἐλατ]ώσεως. Διὰ δὲ τοιούτου τρόπου, τῆς μὲν

* Apud PIGNORIVM in Tabulam Iſiacam p. 81. Edit. Amſteled.

** Vide ſupra Libro hoc IV. cap. I. §. 6.

*** Lib. I. p. 33.

μὲν ἀγωνίας ἀπολύεται πᾶς ὁ λαὸς, πυθόμενος τὴν τῆς αὐξήσεως εἰς τἀναντίον μεταβολήν. Τὸ δὲ πλῆθος τῶν ἐσομένων καρπῶν εὐθὺς ἅπαντες προεγνώκασιν, ἐκ πολλῶν χρόνων τῆς παρατηρήσεως ταύτης παρ' αὐτοῖς ἀκριβῶς ἀναγεγραμμένης. Quae ex interpretatione RHODOMANNI id ſonant: *Propter metum vero ex inundatione oriundum, ſpecula Nili* (in qua nempe gradus Nili adſcendentis conſpici ac notari poſſunt) *a regibus, in Memphi exſtructa eſt, vbi menſura illius exacte cognita, negotii huius curatores, per literas ad vrbes, huc illuc miſſas, ſignificant, quot cubitis ac digitis fluuius adſcenderit, et quando decrementi fecerit initium. Ita populus de reciprocatione amnis edoctus, ſollicitudine et metu liberatur, et e veſtigio, quanta frumentorum copia ſit futura, omnes praenoſcunt, quoniam obſeruatio haec, per multas hominum aetates, diligenter in literas ab Aegyptiis eſt relata.* Poſt Nilometrium Memphiticum, plurima mentio apud veteres occurrit alius, quod plerique * in vrbe *Elephantine*, ſita in vltimis Aegypti partibus, qua Aethiopiae contigua eſt; alii vero ** *Syenae* ponunt. ARISTIDES vero Rhetor, teſtis rerum quas refert oculatus, Nilometrium illud *Syenitis* et *Elephantinis* commune fuiſſe ſubinnuit, vbi ſcribit, *** *Nili adſcendentis, Syenae et Elephantinae gradus numerari* XXVIII, quod † PLVTARCHVS de *Elephantinis* ſigillatim affirmat. Idque

* STRABO Lib. XVII. p. 562. PLVTARCHVS *de Iſide* p. 368.

** HELIODORVS Aethiop. Lib. IX. p. 442. 443. cum quo videtur conſentire ARISTIDES in *Aegyptio*, qui fol. 93. b. *puteum ſacrum Solis* commemorat. Erat vero *Nilometrium*, quidam *puteus* menſurae, vt veteres loquuntur. Vide infra §. 10.

*** In *Aegyptio* fol. 96. a. Edit. graec. Flor.

† Loco paulo ante cit.

Idque tanto eſt probabilius, quia vrbem vtramque ſolus Nilus fluuius, qui fluebat intermedius, ab inuicem ſecernebat. Quicquid vero ſit, STRABO, qui illud oculis ſubiecerat, locat id in vrbe aut inſula *Elephantine*, taleque nobis deſcribit Lib. XVII. p. 562: *Elephantine habet Nilometrium, ſicuti Memphis. Eſt autem Nilometrium puteus quidam in ripa Nili, ex lapide Syenitico conſtructus, in quo et maxima, et minima, et mediocria Nili incrementa adnotantur, nam putei aqua cum Nilo pariter creſcit atque decreſcit. Suntque in putei pariete lineae quaedam inſculptae, deſignantes incrementa et perfecta et alia,* (cubitorum nempe et digitorum.) *Haec igitur obſeruantes, aliis etiam ſignificant, vt de iis certiores fiant. Nam ex ſignis huiuſmodi ac indiciis, multo ante futura Nili incrementa cognoſcunt, idque omnibus praedicunt.* Omnium optime Nilometrium Syeniticum delineat nobis HELIODORVS, cuius ideo verba huc transſcribo, ex Aethiop. Lib. IX. p. 443: Οἱ δὲ τὴν Φρεατίαν τὸ Νειλομέτριον ἐδείκνυσαν, τῷ κατὰ τὴν Μέμφιν παραπλήσιον, συννόμῳ μὲν καὶ ξέσῳ λίθῳ κατεσκευασμένον, γραμμαῖς δὲ ἐκ πηχυαίᾳ διαστήματος κεχαραγμένον· εἰς ἃς τὸ ποτάμιον ὕδωρ ὑπὸ γῆς διηθούμενον, καὶ ταῖς γραμμαῖς ἐμπίπτον, τάς τε αὐξήσεις τῶ Νείλω καὶ ὑπονοσήσεις τοῖς ἐγχωρίοις διασημαίνει τῷ ἀριθμῷ τῶν σκεπομένων καὶ γυμνωμένων χαραγμάτων, τὸ ποσὸν τῆς πληρώσεως, ἢ τῆς λειψυδρίας μετρωμένων. *Illi autem puteum, quo Nili adſcendentis et rurſus deſcendentis gradus metiuntur oſtenderunt, ſimilem ei, qui eſt Memphi, ex lapide Syenite polito extructum, in quo lineae, cubitali interuallo a ſe inuicem diſtantes, inſculptae erant: aqua autem fluuiatilis, per ſubtiles meatus ſubterraneos in puteum impulſa, et lineas attingens, Nili tum adſcendentis incrementa, tum deſcendentis decrementa indigenis oſtendit, qui numero*

linearum,

linearum, quas Nili aqua aut obtexit, aut viciſſim retexit, quantitatem et inundationis, et ſecuti deinde defectus dimetiuntur. Nihil vero deſcriptiones has Nilometrii Memphitici et Syenitici melius luculentiuſque illuſtrat, quam delineatio Nilometrii, quod hodie Cahirae, in inſula Nili, e regione veteris Memphеos cernitur, quam induſtriae * peregrinatorum quorundam recentium debemus. Plura huiuſmodi Nilometria, vti dixi, in aliis per totam Aegyptum ciuitatibus conſpiciebantur. PLINIVS itaque Lib. V. cap. IX. de pluribus loquitur: *Auctus Nili per puteos menſurae, notis deprehenduntur.* Et nominatim PLVTARCHVS praeter Nilometria, *Elephantinum* et *Syeniticum*, ** meminit quoque *Mendeſii* et *Xoitici*, in Aegypto inferiori, *** ARISTIDES Rhetor *Coptici* in Thebaide, *Panopolitani* in eadem Aegypti parte, † *Scriptores Arabes*, qui et alia praeterea commemorant. *Hermunthi* etiam in ſuperiori Aegypto, fuiſſe Nilometrium, ex ruderibus, quae hodieque illic ſuperſunt, non abs ratione ſuſpicor. In illis enim obſeruatur †† lacus, in cuius medio columna apparet. Tales vero erant putei menſurarum, quos Graeci *Nilometria* vocitant. Et rem hanc ARISTIDES Rhetor in *Aegyptio* confirmat, fol. 93. b. vbi ait, Nilum in Praefectura Hermunthica ad cubitos XXX adſcendere.

§. 5.

* Voiage de PAVL LVCAS de l'an 1714. etc. To. I. p. 322. MAILLET Deſcription de l'Egypte, To. I. p. 82.

** *De Iſide* et *Oſir.* p. 368.

*** in *Aegyptio* fol. 96. a. verſus fin.

† MVRTADI, Scriptor Seculi XII. *de admirandis Aegypti* p. 216. Edit. gallicae.

†† POCOCK Obſervations on Egypt. p. 110. GRANGIER Voyage p. 71.

De Nilometrio portatili, ſiue vlna, cubitoque Nili.

§. 5. Haec vero Nilometria Serapidi ratione prorſus ſingulari ſacra dicataque fuiſſe exiſtimamus, idque ſupra monuimus. Quod vt tanto luculentius oſtendamus, ſciendum eſt, Aegyptios habuiſſe quaſdam talium Nilometriorum imagines ſacras, vel Nilometria portatilia, quae in Pompis ſacris, praeſertim Niliacis, circumgeſtare populoque oſtendere moris erat. Graeci Nilometria haec portatilia vocare ſolent πήχεις, quaſi dicas *cubitos*, ſiue *vlnas*, et his nominibus Scriptores latini eadem deſignant, nam gradus Nili adſcendentis maiores, interuallis cubitalibus, a ſe inuicem diſtincti erant. §. 4. Eo reſpiciens GREGORIVS *Nazianzenus*, de Nilo ait, * μετρεῖν τὴν εὐδαιμονίαν τοῖς πήχεσι, *quod exoptatam anni vbertatem incolis Aegypti cubitis admetiatur.* Et HIMERIVS Sophiſta in Oratione quadam: ** Πήχεις οἱ Αἰγύπτιοι τὴν αὔξησιν τὸ Νείλῳ προσαγορεύουσι, καὶ μέτρῳ μετροῦσι τὰ νάματα, καὶ πανήγυρις αὐτοῖς ὁ πῆχυς γίνεται. *Aegyptii incrementa Nili cognominant cubitos, et hac menſura aquas ſuas metiuntur, et cubitus illis materia eſt ſolennium conuentuum.* Hunc vero πῆχυν, ſiue *cubitum* Nili, in eleganti imagine ſcite depictum oſtendit nobis *Tabula Bembina*, quod monuimus iam cap. II. Libri huius §. 22. Dixi illic, vſum illius praecipuum fuiſſe in Pompis ſacris, quod hic verbis HIMERII videmus roboratum. Et poſſet quis ſuſpicari, eundem illum *cubitum* Niliacum, a CLEMENTE *Alexandrino* deſignari, vbi ſolennem aliquam ſacramque Pompam Aegyptiacam deſcribit Stromat. Lib. VI. p. 633, vbi praeter alia et iſta leguntur: Ἔπειτα ὁ στολιστὴς τοῖς προειρημένοις ἕπεται, ἔχων τόν τε τῆς δικαιο-

* Orat. XXIX. in Opp. To. I. p. 626.

** Apud PHOTIVM in Bibliotheca Cod. CCXLIII. col. 2028.

δικαιοσύνης πῆχυν, καὶ τὸ σπονδεῖον. *Deinde poſt hos, quos diximus, ſequitur is, quem vocant* ϛολιϛὴν, *qui cubitum iuſtitiae fert, ac inſuper vas ad libandum.* Πῆχυς δικαιοσύνης, vel *cubitus iuſtitiae* non incommode intelligi poſſet *cubitus Niliacus*, qui *iuſtam*, certorum nempe cubitorum ac digitorum, *menſuram* oſtendit, ad quam Nilus adſcendere debeat, vt fertilitate exoptata et ſperata Aegyptum beet. Sed ne quid tamen diſſimulem, videtur explicationi huic obſtare APVLEIVS, qui ſimilem plane Pompam Aegyptiacae religionis deſcribens, etiam πῆχυν δικαιοσύνης commemorare videtur; ſed quem longe alia ratione interpretatur. Sic nempe is Metam. Lib. XI. p. 262: *Quartus aequitatis oſtendebat indicium, deformatam manum ſiniſtram porrecta palmula: quae genuina pigritia, nulla calliditate, nulla ſolertia praedita, videbatur aequitati magis aptior, quam dextera. Idem gerebat et aureum vaſculum, in modum papillae rotundatum, de quo lacte libabat.* Non credo dubitaturum quenquam, Scriptores modo nunc laudatos ambos, de vna eademque re ſermonem inſtituere. Quod ſi igitur APVLEIVS bonos ac probatos auctores ſecutus eſt, quod a vero ita non abhorret, aut ſi ea quae commemorat, ipſe oculis ſuis vidit, quod ſubinnuere videtur, fateri cogor, verba CLEMENTIS alio ſenſu, quam ego cepi, debere intelligi.

Nilometria ſingulari ratione Serapidi ſacrata fuiſſe, idoneis teſtimoniis probatur.

§. 6. Hunc vero, de quo loquor, *cubitum*, incrementi Niliaci diuerſos gradus oſtendentem, in ſacris Pompis circumferri ſolitum, Serapidi peculiariter dedicatum fuiſſe et ſacratum, ſatis liquet, etſi id non niſi Scriptorum Eccleſiaſticorum, ſed veterum et omni fide digniſſimorum, teſtimoniis comprobare queam. Audiamus itaque RVFFINVM, qui Hiſtor. Eccleſ. Lib. II. c. 30 haec refert: *Moris erat in Aegypto, vt menſura adſcendentis Nili flumi-*

nis ad Templum Serapis deferretur, velut ad incrementi aquarum et inundationis auctorem. —— Ideo vlna ipsa, id est aquae mensura, quam πῆχυν vocant, ad aquarum Dominum in Ecclesiam coepta deferri. Similia plane habet SOZOMENVS, Hist. Eccles. Lib. I. cap. VIII, vbi commoda, quae in Ecclesiam sub imperio Constantini M. redundarunt, enarrat, et inter ea hoc quoque commemorat. Ἀμέλει τοι, παρὰ μὲν Αἰγυπτίοις, ἀκέτι εἰς τὰς εἰωθότας ἑλληνικὰς ναύς· εἰς δὲ τὰς ἐκκλησίας, ἐξ ἐκείνε φέρεται ὁ πῆχυς, ᾧ σημαίνεται τῶν τῦ Νείλε ὑδάτων ἡ ἐπίδοσις. *Denique ex eo tempore apud Aegyptios cubitus Nili, quo incrementum aquarum eius fluuii notari solet, non amplius in Gentilium Templa, sicut mos erat, sed in Ecclesias defertur.* Plura quidem Templa Deorum Aegyptiorum, in quae *cubitus* Nili deferretur, auctor hic memorat. Et sane, vti Alexandriae *cubitus* ille in Serapidis Templum inferri solebat, ita,* in superioribus coniectaui, Memphi eundem in Apidis quoque Fanum deportari consueuisse. Sed SOZOMENVM loqui praecipue voluisse de Templo Serapidis, in quo cubitus Nili asseruari soleret, fidem facit SOCRATES, qui de re eadem agens, in hunc sensum scribit Hist. Eccles. Lib. I. cap. XVIII: Λεγόντων δὲ τῶν Ἑλλήνων, ὡς ἄρα ὁ Σάραπις εἴη ὁ τὸν Νεῖλον ἀνάγων ἐπὶ ἀρδεία τῆς αἰγύπτε, τῷ τὸν πῆχυν εἰς τὸν ναὸν Σαράπιδος κομίζεσθαι, αὐτὸς εἰς τὴν ἐκκλησίαν τὸν πῆχυν Ἀλέξανδρον μετατιθέναι ἐκέλευσε. *Cumque Gentiles Serapim esse dicerent, a quo Nilus ad irrigandos Aegypti agros adduceretur; eo quod cubitus Nili ad Templum Serapidis portari consueuerat; Constantinus Alexandro,* (Episcopo Alexandriae) *praecepit, vt cubitus ad Ecclesiam transferretur.* Equidem

* Libri huius cap. IV. §. 22.

dem regnante Iuliano Apoſtata, res iſta ad primaeuum ſtatum rediit, quod in his teſtatur SOZOMENVS Lib. V. c. 3: Προσέταξε δὲ καὶ τὸν πῆχυν τῦ Νείλυ, καὶ τὰ σύμβολα, καὶ τὰ παλαιὰ πάτρια νομίζεσθαι, πρὸς τὸν Σάραπιν. Κατὰ πρόσταξιν γὰρ Κωνσαντίνυ τῇ Ἐκκλησίᾳ προσεφέρετο. *Praecepit etiam* Iulianus, *vt cubitus Nili, et ſacra Symbola, iuxta morem Maiorum, ad Templum Serapidis deferrentur. Nam ex praecepto Imperatoris Conſtantini, deportabantur ad Eccleſiam.* Verum cum poſtea Theodoſius M. imperio eſſet potitus, eiuſque iuſſu * Templum Serapidis magnificum Alexandriae euerſum eſſet, ſuperſtitio haec in vniuerſum deſiit. Serapim igitur Aegyptiorum Maiores venerati ſunt, tanquam inundationis Nili et incrementorum eius verum auctorem, ideoque menſuram Nili, in qua incrementorum gradus notari ac obſeruari ſolebant, huius tutelae commendatam eique ſacram eſſe voluerunt.

§. 7. Facile praeuideo, aduerſus ea, quae hactenus diſputaui, non ſine aliqua veri ſpecie reponi poſſe, haec omnia ſpectare ad Serapim Alexandrinum, recentiorem, atque ad antiquiorem Memphiticum trahi non poſſe, niſi id argumentis inſuper aliis communiatur et extra dubitationis aleam ponatur. Poſſem equidem, quae adſtruxi, ratione quadam generaliori tueri, nam ** antehac iam obſeruaui, nonnulla in Serapide Alexandrino, veſtigia ſatis luculenta deprehendi Serapidis antiquioris, et niſi id eſſet, huius memoriam penitus perituram fuiſſe. Eo ſpectat ipſum *Serapidis* nomen, *** quod recen-

Teſtimonia adducta reſpiciunt non tantum Serapim Alexandrinum; verum et antiquiorem Memphiticum.

Q 2

* Vide IAC. GOTHOFREDVM ad Codicem Theodoſ. To. VI. fol. 273.
** Lib. II. cap. V. §. 1.
*** Vide ibidem §. 4.

recentiorem Alexandrinum, ab antiquiori Memphitico mutuo accepiſſe certum eſt. * Et erat eodem loco, quo poſtea Alexander M. vrbem illam ampliſſimam, ſibique cognominem, Alexandriam condidit, oppidum vetuſtius, *Racotis* nomine, cuius incolae ab antiquo tempore, *Serapim* Deum ſuum tutelarem, ritibus patriis placauerant. Eritne a ratione alienum, ſuſpicari, in Dei Racotenſis aedem ſacram, ante Alexandri M. aetatem, quotannis cubitum Niloticum ſolenni Pompa deportari conſueuiſſe, et morem huncce poſtea, vna cum nomine Dei Racotenſis, retinere voluiſſe Alexandrinos? Sed ne videar in nudis coniecturis fiduciam ponere, ſuppeditabo iam indicia huius rei, id quod dixi, ſatis luculenter teſtantia, oſtendamque, ipſum puteum Menſurae Niliacae antiquiſſimum, Memphi ſcilicet conſtructum, fuiſſe in Serapidis Templo viſendum.

Eam in rem noua Pauſaniae explicatio offertur, et pluribus illuſtratur.

§. 8. Memphi Templum extitiſſe Serapidis antiquiſſimum, vidimus §. 2. Vehementer probabile eſt, in hoc Dei illius Templo, cubitum Niliacum, poſt peractas in honorem fluuii Pompas ſacras, ſaepius inſtitutas et repetitas, quotannis reponi conſueuiſſe. Et forſitan *ſepultura Apidis*, in *Serapidis* Templo, de qua ex PAVSANIA retulimus §. 2, nihil aliud re ipſa ſignificat, quam reductionem cubiti Nilotici in Serapidis Templum, ex quo ante paucos menſes depromtus fuerat. Etenim *Apis*, Aegyptiace HΠI, *api*, quod ** in ſuperioribus monitum iam fuit, proprie ſignificat *numerum*, ſiue *menſuram*, vel magis ad hoc noſtrum negotium appoſite, *menſuram certis numeris diſtinctam*. Ita igitur opportune et commode, tum ipſum *Nilometrium*, tum etiam *cubitus* Nili portatilis dici potuit. Idque

* Vide loc. cit.

** Lib. hoc IV. cap. II. §. 23.

Idque fere, nomen Arabicum, quo *Nilometrium* nunc in Aegypto designatur, *Mikias*, pariter significat. Sic igitur *sepelire Apim*, vel *cubitum Niliacum*, lingua Sacerdotum symbolica, de qua suo loco diximus, significare poterat, *cubitum Niliacum*, quippe cuius nullus amplius in solennitatibus sacris vsus esset, in Templo Serapidis reponere, ac per menses circiter octo occludere, quo quidem toto tempore, conspectui hominum omnium subtractus, ac veluti sepultus, mansisse videtur. In Atrium vel Templum *Mikiae*, Cahirae erectum, hodie nemo admittitur, nisi religioni Muhammedanae addictus, peregrino pedem in hoc Sacrarium intulisse, piaculum est. Simile quid potuit olim etiam obseruari Memphi, in Templo Serapidis, aut in illo eius Sacrario, in quo cubitus Niliacus per octo menses recondendus erat, vt in illud nemini pateret aditus, nisi quo tempore cubitum Niliacum aut solenniter efferre, aut pari solennitate reducere oportebat. Si ad linguam Sacerdotalem arcanam, quam PAVSANIAS vtique non intellexit, attendas, verba eius, supra §. 2 allata, sensum talem, qualem nunc subministrauimus, haud dubie admittunt. Et probare difficile non foret, locutiones tales sacerdotales mysticas, vulgo non intellectas, et perperam explicatas, errores peperisse non paucos. Verum *Tabula Bembina*, quae in eodem Segmento *cubitum Niliacum* bis cum imagine *Apidis* coniungit, significare mihi visa est, Memphi *cubitum* illum, singulari modo *Apidi* sacratum, et in illius delubro recondi solitum fuisse, nisi modo in Tabula illa innuatur, quod et * alibi iam mihi placere testatus sum, *cubitum* Niliacum, postquam e Templo Serapidis, velut e sepulchro elatus et in lucem productus fuisset,

* Supra cap. II. §. 22.

set, in Templo *Apidis*, vbi ab omnibus conspici poterat, mensibus, Iulio, Augusto, et Septembri, seruari consueuisse, et forte durante illo tempore, etiam cum *Apide* per Nilum varioque illius alueos, rate, quam Barim vocant, circumuectum fuisse, donec peractis consuetis Pompis Niliacis, in Templum Serapidis, sepeliendus, aut per octo menses nemini videndus, referretur. In huiusmodi rebus, quae Scriptores veteres alto silentio inuoluunt, nonnisi coniectando et diuinando progredi licet. Feci id et hoc in loco, adiutus indiciis nonnullis haud spernendis. Esto autem huius rei apud eruditos lectores arbitrium.

Res eadem alio argumento corroboratur. Nilometrium Memphiticum positum erat in Templo Serapidis in Insula.

§. 9. Luculentiora indicia mihi ad manum sunt, quibus adstruere queam, *puteum mensurae* Niliacum, vel *Nilometrium* Memphiticum, visendum fuisse in Templo Serapidis. Eum in finem obseruari velim, cadauer Apidis mortui, non potuisse ad Serapidis Templum deferri, nisi rate vel baride, quod veterum testimoniis euici cap. II. Libri huius, §. 12. Norunt vero omnes, Nilum ab vrbe Memphi interuallo admodum modico abfuisse. Quia autem nonnisi baride, vel nauigio, ad Templum Serapidis peruenire poterat, nemo non videt, Templum illud, aut trans fluuium, ad littus illius orientale situm fuisse, aut in medio Nilo, in aliqua ex illis insulis, quibus vbique, et sigillatim prope Memphim, fluuius ille abundat. Prius difficulter credi potest. Nam quomodo Templum adeo illustre et Aegyptiis cunctis sacrosanctum, omnes in regionem illam iter instituentes, et Geographos latere potuisset? Et nemo tamen est, qui locum illius Templi notauerit, literisque prodiderit, cum tamen eorum plurimi, in enarrandis et describendis rebus, quae attentionem lectoris multo minus merebantur, sint accurati et prolixi. Quod si vero, vti suspicor, Tem-

Templum illud in aliqua Nili insula extructum fuit, * omnibus hominibus inaccessa, ad quam Sacerdotibus ipsis, nonnisi certa aliqua anni tempestate aditus patuit, (§. 2. et 8.) ratio silentii illius admirandi, quod hac de re apud Scriptores omnes obseruatur, reddi nunc iam facile potest. Eadem de causa vsu venisse existimauerim, vt ante Alexandri M. aetatem, ex Graecis nemo Serapidis Aegyptii mentionem fecerit, vtque ante Ptolemaeorum regnum, nemo de Nilometrio Memphitico sermonem iniecerit. Ipse STRABO, qui regnante Augusto Imp. cum Aegyptus in formam Prouinciae Romanae redacta iam esset, regionem hanc totam itineribus emetitus est, Nilometrium Syeniticum accurate quidem nobis descripsit, illudque Memphitico simile esse obseruauit p. 562; verum in ipsius vrbis Memphis descriptione, sane non ieiuna, Nilometrii illius celeberrimi omnino non meminit. Colligo igitur non citra grauem rationem, Templum Serapidis Memphiticum aedificatum fuisse in insula. Et Nilometrio vrbis eiusdem, pariter in insula Nilotica locum fuisse assignatum, non est, quod dubitare queam. Illud certe, quod illic loci etiamnum supereſt Nilometrium, aedificatum esse in insula, omnes norunt. Adiicio hic illius descriptionem, quam nobis dedit auctor, origine Afer, et qui A. 1513 in Aegypto peregrinatus, illud quoque oculis suis ipse subiecit. ** *E regione ciuitatis veteris* (Cahirae) *in medio Nili, Michias, hoc est mensurae, videtur insula, ex qua pro ratione inundationis Nili, eius anni prouentum, per totam Aegyptum, certissima ratione, a pri-*

* Idcirco nempe, vt suspicor, locus ille dicebatur *adytos*. Vide §. 10.

** IOHANNES LEO AFRICANVS Descript. Africae Lib. VIII. pag. 697.

ſcis Aegyptiis adinuenta, colligunt. Inſula vtcunque habitata. —— Alteram inſulae partem domus ab aliis ſeiuncta occupat, in cuius medio foſſa quadrangularis decem et octo cubitos profunda, per aquaeductum ſubterraneum, aquam ex Nilo porrigit. In foſſae meditullio, columna totidem cubitis ſignata et diuiſa ſpectatur. Deſcriptioni huic addo aliam a Viro illuſtriſſimo profectam, qui vergente ad finem Seculo eodem XVI, Aegypti partes quaſdam perluſtrauit. Sunt vero haec eius verba: * *Cum Nilus exundat, e regione vrbis antiquae* (Cahirae) *ſit inſula, quam Mulchias, vel vt alii, Mechias appellant; quae dictiones menſuram ſignificant, quod eo in loco ſtagnante Nilo, menſura aquae obſeruetur.* Et quibuſdam inte poſitis: *In extremitate dictae Inſulae, parte ſuperiori eſt amplum et elegans palatium —— vbi etiam eſt Moſchea, in qua etiam eſt columna ſeu pyramis erecta, quam aqua per ſubterraneos conductus alluit, in qua notatur, quam celeriter aqua creſcat et decreſcat.* Sunt inter recentiores, qui noſtra, aut patrum noſtrorum memoria, columnam illam et ** accurate deſcripſerunt, et illius quoque, non minus quam Templi, in quo erecta eſt, *** delineationes addiderunt. In eadem illa inſula, in qua hodie oſtenditur puteus menſurae Niliacae, auguror et olim extitiſſe celebre *Nilometrium* Memphiticum, et Templo Serapidis, quod illic ſtetiſſe opinor, credo ſucceſſiſſe primo quidem Templum aliquod pietati Chriſtianorum conſecratum, huic vero poſt ſtabili-

* Peregrinatio Illuſtriſſimi Principis RADZIVILII p. 163. Edit. Brunsb.

** VANSLEB Relation d' un Voiage fait en Egypte p. 64. &c.

*** PAVL LVCAS et MAILLET, vbi ſupra §. 4. not. *

ſtabilitam dominationem Saracenorum, Moſcheam Muhammedanam. In bello Saracenico, quo Aegyptus vi adacta, iugum Muhammedanorum ſubiit, vetus quod ibi erat *Nilometrium*, videtur a Barbaris, vſum eius nondum edoctis deſtructum, aut damno notabil. affectum fuiſſe. Nam * *in inſulam hanc, cum appoſitis ſcalis expugnaretur Babylon* (e regione vrbis Memphis cis Nilum a Cambyſe quondam, aut etiam prius aedificata, vbi nunc ſita eſt Cahira vetus) *confugerat Macaucus, Aegyptiorum pro Heraclio Praefectus; atque ibi ex munito receptu, conditiones pacis, de quibus hiſtoria Saracenica, cum Amro pactus fuit.* Siue igitur in impetu Saracenorum in inſulam putei, puteus ipſe detrimentum paſſus fuerit inſigne, quod probabilitate non caret, ſiue vero Saraceni in ipſis dominationis ſuae primordiis, curam putei celeberrimi, et coniuncti cum eo Templi, Chriſtianis auferre nondum duxerint conſultum, certum eſt, eos aliud Nilometrium *Huluani*, ** (ita vocabatur pagus, duabus a Babylone paraſangis diſtans, Nilo ex alto imminens) aut conſtruxiſſe, aut vetus, quod ibi fuerat, ſibi vindicaſſe. Annis enim fere 76 aut 77 poſt, *** *ſcripſit Aſamas, collector Tributorum Aegypti, ad Suleimanum, filium Abdulmelici, Chalifam, atque indicauit ei, menſuram illam Nili, quae Huluani erat, collapſam eſſe: vnde illi praecepit, vt menſura extrueretur in inſula illa, quae eſt inter fluuium Fuſtatae, et fluuium Gizae, et extruxit eam anno* 97 (nempe Hegirae, A. C. 716.) *eaque menſura illa eſt, qua hodie menſuratur.* Recte

 vero

* GOLIVS in notis ad Alfraganum (ex OSIOTHO, Scriptore Arabe) p. 156.

** GOLIVS, vbi ſupra p. 224. Vide tamen et RENAVDOTII hiſtor. Patriarch. Alexand. p. 178.

*** ELMACINVS hiſtor. Saracen. p. 74.

vero doctiſſimus GOLIVS, quando hiſtoriam eandem ex Scriptoribus Arabicis refert, in haec verba ſcribit: * *Hoc Nilometrium, inter cetera alibi extructa, maximum et elegantiſſimum, primus ibidem* (in inſula Ruda) *erexerat, vel INSTAVRAVERAT Vſama, filius Zeidi, Aegypti Quaeſtor.* Recte vir magnus, et hiſtoriae veteris egregie peritus obſeruat, *Nilometrium Memphiticum*, in inſula de qua diximus, ab Aſama, vel Vſama, tantum fuiſſe *inſtauratum*, cum nimirum dirutum eſſet, aut ſaltem vetuſtate collapſum. Nam vti dixi, in eadem inſula Nilometrium ante permulta Secula ab Aegyptiis conſtructum, et poſtea a Romanis in pretio habitum fuerat. Etiam ab illo tempore, huncce menſurae puteum, ab Aegypti incolis Muhammedanis, ſemel iterumque inſtauratum fuiſſe nouimus. Non ergo abs re colligo, temporibus antiquis, in eadem inſula, et Templum fuiſſe *Serapidis*, et *puteum menſurae*, Deo huic conſecratum.

Aliud ad probandam rem eandem argumentum adfertur.

§. 10. Aliud iam in mentem incidit argumentum, quod in re adeo obſcura, non penitus contemnendum eſſe putem. Multis veterum teſtimoniis, ** vbi de *Apide* egimus, dedimus probatum, fuiſſe hanc communem Aegyptiorum perſuaſionem, Taurum huncce ſacrum, vbi termino vitae, per leges Sacrorum conſtituto, ſuperuixiſſet, aut mergi a Sacerdotibus, aut ſe ipſum mergere, *ſacro* aliquo *fonte*. Quis ſit *fons* ille *ſacer*, vel, vti PLINIVS loquitur, *fons Sacerdotum*, nemo veterum dixit. Satis certo potius intelligitur, eum veteribus omnibus fuiſſe penitus ignotum. Nec e recentioribus quisquam, quantum mihi quidem liquet, noua luce accenſa, illas veterum tenebras diſpulit. *** Suſpicatus

* Vbi ſupra p. 156. ** Libro hoc IV. cap. II. §. 10.
*** Loco modo cit. §. 11.

catus equidem ſum, Sacerdotes per *fontem* ſuum *ſacrum*, intellexiſſe puteum, ex eorum genere, qui hodiemum in campis antiquae Mempheos deprehenduntur, per quos olim Aegyptii, cadauera et hominum et animantium, in cryptas ſubterraneas demittere conſueuerant. Neque coniecturae illi in vniuerſum etiamnum renuntio. Verum vbi nunc illius rei cogitatio me iterum ſubiit, veroſimilius mihi viſum eſt dicere, per *ſacrum* ſuum *fontem*, Sacerdotes intelligi voluiſſe *puteum menſurae Niloticae*. Omnes Scriptores latini veteres, et ex graecis plerique, *Nilometria* Aegyptiorum, ac ſigillatim Memphiticum, *puteorum* nomine deſignant, §. 4. Et re ipſa, vt verbis vtar * Scriptoris recentioris oppido laudati, *aedificium iſtud, quod* Mikias *vocant, nihil aliud eſt, quam* puteus, *vel turris figurae octangulae, conſtructa ad extremitatem inſulae, quam* Rudah *vocant, id eſt* hortum. *In medio huius turris, cuius area viginti circiter pedum eſt, cuiuſque fundus lapidibus accurate ſtratus, eiuſdem cenſetur altitudinis cum alueo Nili, erecta eſt columna, in qua lineis diuerſis, interualla tum pollicaria, tum cubitalia, cernuntur diſtincte notata ——— In latere huius putei, quod ad Nilum ſpectat, plura excauata ſunt foramina, per quae aqua fluuii intromittitur.* &c. Hunc vero Nili *puteum*, Sacerdotes non immerito vocare poterant *fontem*. Nam quemadmodum PAPIAS ait, ** *omnis puteus fons*. Et ſi veteribus credimus, aqua Nili viua, per ſubtiles meatus ſubterraneos ſeſe in *puteos* menſurae inſinuabat, §. 4, quod et recentiores quidam, ſecuti in eo, vt videtur, antiquos, de hodierno Nilometrio Cahiriano ſibi

* MAILLET Deſcription de l'Egypte To. I. p. 82.
** Vide MARTINII Lexicon Philol. artic. *Puteus*, vbi plura.

ſibi perſuaſerunt, §. 9. Neque vero difficilius fuerit, rationem reddere, ob quam *puteus* ille menſurae Memphiticus, *Sacer*, atque *Sacerdotalis*, dictus habituſque fuerit. Erat enim vere *ſacer*, Diis quippe, Nilum virtute ſua augentibus, ac omnium maxime *Serapidi* conſecratus. Erat porro profanis omnibus inacceſſus, et Sacerdotibus ipſis, nonniſi certa quadam anni tempeſtate patebat, §. 9. Et hunc ipſum locum intelligi puto a *Scholiaſte Germanici*, cuius haec verba * in ſuperioribus iam attuli. *Deducitur autem* (rex initiandus et inaugurandus cum Apide,) *a Sacerdote Iſidis*, (vel vt legi putabam *Apidis*) *in locum qui nominatur Adytos*, id eſt *profanis inacceſſus*, etſi non inuitus fatear, omnia in Aegypto Templa, ſaltem quae eſſent magnitudinis nonnihil amplioris, habuiſſe ſua *adyta*. Sed hic tamen ſubindicatur locus, qui ratione ſingulari diceretur *adytos*, vel *inacceſſus*. Credi igitur Sacerdotes volebant a populo, ſi rem acu tetigi, Apidem qui termino vitae per Sacerdotum praecepta ſibi conſtituto ſuperuixiſſet, mergi in puteo Nili, etſi id re ipſa factum non fuiſſe, ** ſuo loco monuerim. Videtur populus in Aegypto, cui indoles putei menſurae Niliacae, vtplurimum incognita erat, locutiones Sacerdotum de *Sacro fonte*, quo mergeretur Apis, non intellexiſſe, atque hinc factum eſſe crediderim, vt Sacerdotes ignorantia rudis Popelli abutentes, poſtea perhibuerint, *ſacrum fontem*, quo Tauri quondam diuini corpus mergi ac recondi ſoleret, omnibus ignotum, ſuae, Sacerdotum ſolorum cognitioni reſeruatum eſſe. Quorſum vero primitus Sacerdotes credi volebant, *Apidem* termino vitae ſuae ſuperſtitem, mergi in *puteo* Niliacae menſurae,

* Libro hoc IV. cap. II. §. 15.
** Supra capite II. Libri huius §. 11.

ſurae, cum tamen id re ipſa non fieret? Ratio illius rei, ſi ita ea ſe habet, atque ſuſpicor, mihi videtur euidens. Nam vbi Apis terminum vitae, legibus Sacerdotalibus definitum non attigiſſet, morteque naturali ſublatus eſſet, ſolenni pompa, * naui deferebatur in Templum Serapidis, vbi *puteum* quoque menſurae Niliacae conſtructum fuiſſe auguror. Credi igitur volebant, idem illud fieri etiam, quando Taurus ſacer, termino decreto ſuperuiuens, morte violenta e medio ſublatus eſſet, niſi quod praeterea fingerent, corpus Apidis tum ſine omni Pompa, clam eo deferri, et non in Templo Serapidis regioni; verum in *puteo* menſurae Niliacae mergi. Hoc opinor, Sacerdotes credi a vulgo initio voluiſſe. Verum cum illa traditio in alienum ſenſum ab indocta plebe detorta eſſet, Sacerdotes hunc eius errorem non corrigere, ſatius exiſtimarunt.

Interpretatio nominis Serapis, ex lingua Aegyptiaca, a Plutarcho ſuppeditata examinatur.

§. II. Omnia quae hucuſque diſputauimus, interpretatio nominis Aegyptiaci *Serapis*, ex patrio gentis illius ſermone depromta, egregie confirmabit. Quam incommode, ne dicam inepte, Graeci plerique nomen iſtud explicare in more habeant, ex iis poteſt intelligi, ** quae de *Serapide coeleſti* diſſerui, quaeque hoc loco recoquere nollem. Dixi etiam ibidem, PLVTARCHVM aliquam tradere nominis illius etymologiam, ex genuino Aegyptiorum ſermone mutuo ſumtam; ſed accuratius illius examen in hocce caput reieci. Scribit enim auctor laudatus, in libro *de Iſ. et Oſir.* p. 362. in haec verba: Ἐγὼ δὲ εἰ μὲν Αἰγύπτιόν ἐστι τὄνομα τῦ Σαράπιδος, εὐφροσύνην αὐτὸ δηλῦν οἶομαι καὶ χαρμοσύνην, τεκμαιρόμενος, ὅτι τὴν ἑορτὴν Αἰγύπτιοι τὰ χαρμόσυνα σαίρει καλῦσιν. *Ego autem, ſiquidem Aegyptia*

* Supra cap. [illegible] §. 12.
** Lib. II. cap. V. §. 8.

Aegyptia vox eſt Sarapis, gaudium ea et laetitiam ſignificari cenſeo: hoc adductus argumento, quod feſtum diem et hilaritatem Sairi appellent Aegyptii. Primo igitur auctor hicce nos docet Aegyptios feſtum diem vocare σαίρει, vbi malim ſcribere, σαῤῥί, certe hoc vocem Aegyptiacam plene et diſtincte exprimit. Etenim Aegyptiis, *feſtum*, ἑορτὴ, ſemper dicitur ϣⲁⲓ, *Sai*. Matth. XXVI. 5. Luc. II. 42. Ioh. V. 1. Inde formatur compoſitum ⲉⲣ-ϣⲁⲓ, *Er-ſai*, id eſt *facere feſtum*, vel *celebrare feſtum*, et quod plane idem eſt, ϣⲁⲓ-ⲓⲣⲓ, *Sai-iri*. Prius legitur in verſione Coptica Leuit. XXIII. 41. 1 Cor. V. 8. et in verſione Pſalmorum, manu exarata, ſaepius. Poſterius autem non minus analogice et ſecundum regulas linguae Copticae grammaticas formatum eſt atque prius. Σαΐῤῥί igitur proprie ſignificat *feſtum celebrare*, vel etiam, *hilariter viuere tanquam in feſto*. Memini virum in his rebus mirabiliter acutum, valdeque exercitatum, B. LA CROZIVM, cum ante annos plus quam triginta, ſuper illo PLVTARCHI loco ſermones conferremus, id ipſum quoque obſeruaſſe. Et certe ſermonis Coptici bene gnarus, anceps haerere hic non poterit. Addit PLVTARCHVS, voce Σαιῤῥί Aegyptios etiam deſignare τὰ χαρμόσυνα, *hilaritatem*, quod de ipſa Feſti in honorem Deorum celebratione intelligi poteſt, quia Feſta hilariter et cum teſtificatione gaudii tranſigere populis omnibus ſemper moris fuit. Poſſunt igitur τὰ χαρμόσυνα idem ſignificare, quod ἑορτὴ, *feſtum*. Sic apud GREGORIVM NAZIANZENVM * in Oratione *de Baptiſmo* init. Τὰ χαρμόσυνα τῆς σωτηρίας ſignificant *laetum feſtum ſalutis*, vel *celebrationem memoriae ſalutis*. Verum τὰ χαρμό-

* Orat. XL. in Opp. To. I. p. 637.

χαρμόσυνα adhibentur etiam de laetitia, quae diebus feſtis, in honorem Deorum inſtitutis, demonſtratur quidem; ſed dum indulgetur epulis lautioribus, choreis, omniſque generis voluptati carnali. Ita HERODOTVS Lib. III. cap. 27. de Aegyptiis commemorat, quod reperto Apide, εἵματα ἐφόρεον τὰ κάλλιστα, καὶ ἦσαν ἐν θαλιήσιν, *veſtimenta geſſerint pulcherrima, et continuo conuiuiis opiparis operam dederint.* Paulo poſt vero id ipſum vocat χαρμόσυνα ποιέειν, *eſſe in gaudiis.* Videntur Copti hoc proprie dixiſſe ϣⲁⲓϣⲓ. Indeque eſſe autumo, quod concubitus inprimis inordinati, (κοιται,) eo nomine deſignentur, Numer. XXXI. 17. 35. Rom. IX. 10. ac praecipue XIII. 13, vbi Apoſtolus κώμοις, μέθαις, κοίταις, et ἀσελγείαις coniungit, quae in pleriſque gentilium feſtis obſeruari poterant. Haec igitur interpretatio, aliquam linguae veteris Aegyptiorum peritiam prodit; ſed rei tamen non ſatisfacit. Nam 1. non video, cur tale nomen Serapidi prae aliis Diis ab Aegyptiis imponendum fuerit, cum neminem fugiat, etiam alios gentis huius Deos, Feſtis in eorum honorem hilariter celebratis, coli conſueuiſſe. 2. Haec originatio, ſi vel a ſcopo non plane aberraret, partem tantum nominis *Serapis*, non integrum nomen explicaret. Mittamus igitur hanc interpretationem, quam ſane veteres Aegyptiorum Theologi approbare ſuffragio ſuo nunquam potuiſſent.

Noſtra nominis huius interpretatio proponitur.

§. 12. Poſtquam et ego nomen iſtud ab omni parte verſaui, et diligenter excuſſi, deprehendi vocem *Serapis* non melius exponi vertique poſſe, quam *columnam, in qua gradus Nili adſcendentis numerantur.* Capite ſuperiori II, monuimus lectorem, ⲏⲡⲓ, *Api*, Aegyptiis ſignificare *numerum* et *menſuram.* ϫⲏⲣ vero, *Dſer*, vel *Ser*, aut etiam *Sar*,

Sar, eſt aliquid attente et accurate *ſpeculari*, vnde ⲡⲓ-ϩⲏⲣ, lingua illa dicitur κατάσκοπος, *ſpeculator, explorator.* Vide Geneſ. XLII. 9. 14. 16. Hebr. XI. 31. Eſſet igitur ϩⲏⲣ-ⲏⲡⲓ, *Sar-api*, talis *columna*, in qua *gradus Nili* adſcendentis accurate diſtingui et *explorari poſſunt.* Reſpondet voci huic Aegyptiacae, Νειλοσκοπεῖον DIODORI, ſic enim is *columnam menſionis* Memphiticam appellat p. 33. Poſſum et aliam ſuppeditare originationem, quae, vt verum fatear, mihi etiam magis probatur. Nam ϩⲏⲣⲓ, *Sari*, ſermone Niligenarum deſignat σήλην, *columnam*, Exod. XXIII. 24. Vnde conſequitur, ϩⲏⲣⲓ-ⲏⲡⲓ, *Sari-api*, Aegyptiorum lingua ſignificaſſe *columnam menſionis*, vel *numerationis*, in qua ſpectatores gradus Nili adſcendentis *numerare* et *metiri* potuerint. Id hodieque Arabibus, eorum *Mikias*, id eſt *columna menſionis* ſignificat. Eſtque admodum veroſimile, Arabes antiquum columnae huius nomen retinuiſſe, illudque in ſermonem ſuum patrium conuertiſſe. Sic igitur *Serapis*, vel *Sarapis*, primitus non fuiſſet niſi nomen columnae, quae gradus maiores minoreſque Nili adſcendentis oſtendebat, vt numerari poſſent. Non mediocriter originatio haec ex eo iuuatur ac illuſtratur, quod * locus, vbi olim *Serapis* Memphiticus colebatur, *Sinopium* dictus fuerit, vnde ** ſecundum quoſdam, DIONYSIVS *Periegetes*, eum *Iouem Sinopiten* nuncupauit. Eadem de cauſa *** Pſeudo-CALLISTHENES Deum hunc vocat *inuiſibilem*

* EVSTATHIVS in Dionyſium Periegeten v. 255. Verba eius attuli §. 2.

** EVSTATHIVS loc. cit.

*** Vide ſupra Lib. II. cap. V. §. 5. 7.

bilem in Sinopio. Coniicio hinc, aedificium illud, in quo *Serapis*, id est *columna mensurae* erat constructa, Aegyptiace dictum fuisse *Sinopium.* Idque nomen rem de qua loquimur, eleganter et examussim exprimit. Etenim ⲥⲓ-ⲛ-ⲏⲡⲓ, *Si-n-api*, vel quod plane idem significat, ⲥⲓ-ⲛ-ⲱⲡⲓ, *Si-n-opi*, Aegyptiorum sermone significat *numerum inire*, *numerum capere*, vel *numerare.* Leuit. XV. 13. 28. Numer. III. 40. XXXI. 5. et saepe in Psalmis. Patet hinc, *Sinopi*, et addita terminatione graeca Σινώπιον, *Sinopium*, designare *locum*, vel *aedificium*, *in quo aliquid numeratur*, aut *locum*, *qui est numerationi vel mensioni destinatus.* Nempe *puteum*, * quem Arabes hodie vocant *atrium mensurae*, Aegyptii olim dicebant *Sinopi*, *columnam* vero in puteo, qui gradus ostendebat, *Sariapi.* An non haec secum conspirant, seque mutuo illustrant?

§. 13. Ex his, quae exposuimus, ratione omnibus perspicua colligere licet, quamobrem *Serapis* Aegyptiorum, primitus ἀόρατος, *inuisibilis* dictus fuerit. Nimirum *Serapis* primo quidem nihil aliud fuit, quam *columna mensurae Niliacae.* Postquam vero *cubitus Nili* portatilis, ex Aede *Apidis*, in *Sinopium* siue *atrium mensurae* esset reductus §. 8, atrium illud occludebatur, et *Serapis*, siue *columna mensurae*, ab illo tempore, spatio mensium octo, omnibus plane erat *inuisibilis*, et inaccessus. Procedente tempore, vt videtur, placuit Sacerdotibus, vt *Nilometrio* suo, vel *Serapi*, praeficeretur Numen aliquod peculiare, in cuius honorem Templum erexerunt, idque puteo adiunxerunt, qui mos postea semper, in hodiernum vsque diem, seruatus est. Numini huic indiderunt ipsius *Nilometrii* nomen,

Quomodo ex vno Serapide, successu temporis, duplex enatus fuerit.

* GAVLMINVS ad vitam Mosis Lib. I. cap. X. p. 247.

nomen, aut *Nilometrium* ipſum, ſiue *columnam menſurae* nominibus et honoribus diuinis, Templo etiam et cultu condecorarunt, quod a conſuetudinibus hominum illius aeui plane non abhorrere, ſatis teſtantur, quae viri eruditi, et eorum exempla * nos quoque ſecuti, de originibus idololatriae, primisque inter mortales ſymbolis ſignisque memorialibus naturae Diuinae, obſeruauimus. Quoniam vero per idem fere tempus, quo *Nilometrium* et *cubitum Niliacum* videre nemini licebat, Sol quoque hemiſphaerio noſtro derelicto, in hemiſphaerium inferius concedit, eoque abſente Nilus deficit, hoc autem in primordio veris, ad hemiſphaerium noſtrum redeunte, aliqua incrementi Niliaci praeludia obſeruari creduntur, nomen *Serapis* et *inuiſibilis* etiam ad *Solem* relatum eſt, uam ſub hoc nomine eum quondam a priſcis Aegypti incolis ritibus religioſis cultum fuiſſe, pluribus Libro II. cap. V. expoſuimus. Sic ergo ex vno duo euaſere *Serapides*, *coeleſtis* alter, alter *Nilotius*, qui poſtremus tamen priorem tempore, vt opinor, anteceſſit.

* in *Prolegomenis* §. 34.

CAPVT

* *

CAPVT IV.

De Mneuide Tauro Sacro Heliopolitano, et Onuphi Tauro Sacro Hermunthite.

De origine cultus, quem Aegyptii bobus vaccisque sacris exhibuerunt. §. 1. Inter Tauros sacros, post Apidem praecipuis honoribus fruitus est Mneuis, etsi cultus eius successu temporis paulatim negligeretur, et vilescceret. §. 2. Mneuis singulari ratione sacer erat Soli, quod testimoniis, rationibusque pluribus, probatur. §. 3. Notae Mneuidis, quae eum a bobus gregariis distinguerent. §. 4. Mneuidis cultus in Aegypto valde antiquus fuit, ipsiusque Apidis cultu antiquior. §. 5. Interpretatio nominis Mneuis, ex auito Aegyptiorum sermone tentatur. §. 6. Inter Tauros Aegyptiorum sacros, tertius est Onuphis Hermunthi cultus. Traditiones de eo veterum adferuntur. §. 7. Tauri huius sacri Hermunthitae nomen ex lingua Aegyptiorum exponitur. §. 8.

§. 1.

De origine cultus, quem Aegyptii bobus vaccisque sacris exhibuerunt.

Absolutis iam iis, quae de *Apide*, boue Memphitarum sacro, et *Serapide Nilotico* dicenda esse putaui, transeundum mihi nunc est, ad tauros alios, quos Aegyptiorum religio consecrauit, ac Deorum instar venerari iussit. Habuerunt enim Aegyptii plures boues, a se inuicem diuersos, et diuersis quoque nominibus insignitos, quos dignati sunt honoribus diuinis, populisque adorandos proposuerunt. Est autem certum, multisque indiciis ac argumentis testatum animal hoc generis tum masculini, tum foeminini, Aegyptiis singulari in pretio, atque sanctum inprimis habitum fuisse. De origine

cultus, animali huic ab Aegyptiis oblati, variae extant veterum ſententiae, quas hic omnes non excutio. Plerique exiſtimant, Aegyptios perſpecta vtilitate ingenti, quae ex hoc animali in terram hominesque redundat, diuinos in illud honores conferre, aequum duxiſſe. * *Bouem*, inquiunt, *in Deos referebant Aegyptii, quoniam per ipſum exercentes agriculturam, victum ſibi parabant.* Idque omni veriſimilitudinis ſpecie deſtitutum non eſſet, ſi ſolis bobus diuinos honores detuliſſent Aegyptii. Scimus enim, bouem aratorem, apud omnes gentes ſanctum olim inuiolabilemque habitum fuiſſe. In quo argumento, ne prolixiorem me eſſe oporteat, otia mihi fecit BOCHARTVS in *Hierozoico* Part. I. Lib. II. cap. XXXIII. Illis quae vir ſummus eo loco attulit, haec tantum addo, ex *Scholiaſte Arati* in *Phaenomena* p. 19. Edit. Oxon. Οἱ ἀρχαῖοι ἐφύλαττον τὰς ἐργάτας βᾶς καθιερεύειν. διὸ καὶ ὁ Ὅμηρός φησι, βᾶν

** Ἀδμήτην, ἣν ἔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.

Ἀσεβὲς γὰρ ἐδόκει τὸν ἀρότην σφάξαι. πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι ἐγεύσαντο τῶν τοιούτων βοῶν. *Veteres ſollicite cauebant, ne boues aratores ad ſacrificia adhiberentur. Vnde et Homerus ait de boue, vel vacca ſacrificanda*

Indomitam quam nondum ſub iugum duxit vir.

Impium enim ducebatur, boues aratores iugulare. Omnium primi vero Athenienſes huiusmodi bobus veſci ſuſtinuerunt. Verum enim vero, cum praeter boues, Aegyptii alia etiam animalia, et tantum non omnia ad pares euexerint honores, cum in his locum etiam fecerint noxiis valde et damnoſis, Leonibus,

* PALLADIVS in *hiſtoria Lauſiaca* cap. LI. Adde DIODORVM *Siculum* p. 77. 79.

** Il. K. 293. Odyſſ. Γ. 383.

nibus, lupis, ſimiis, crocodilis, ſerpentibus, muribus araneis, et huius generis pluribus, ſatis apparet, eos rationibus longe aliis permotos, hiſce animantibus diuinitatem tribuiſſe. Arbitrantur alii, honorem hunc boui detuliſſe Aegyptios, ob formam et praeſtantiam corporis, quam * veteres multis laudibus extulerunt. Et ferebatur ſane apud Aegyptios vetus traditio ſacerdotalis ac Prophetica, non paſſim nota, ** *quod rex Aegyptiorum* *** *Menes, cum inquireret, quodnam potiſſimum animal eſſet colendum, Taurum praetulerit, eo quod illum omnium formoſiſſimum eſſe iudicaret.* Alii iudicium tale de ingenti vtilitate bouis tribuunt † *Cephreni*, regi ſuperioris Aegypti, Moſisque noſtri aequali. Verum vt intelligatur, quam parum et iſthaec ſententia ſoliditatis habeat, ea quae de cultu animalium apud Aegyptios, in genere modo obſeruabamus, hic repetenda tantum erunt. Mitto aliorum ſententias non magis certas, aut quibus multum ſubeſt obſcuritatis impeditae et perplexae, vnico hoc nunc contentus, quod multorum nititur teſtimoniis diſertis, quodque res ipſa aperte loquitur, priſcos Aegyptiorum Sapientes, Diis ſuis talia conſecraſſe animalia, quae illorum aliquas proprietates, tanquam in tenui imagine adumbrarent, vt aliquo ſenſu dici poſſent, †† viuae diuinitatis imagines. Tale quid etiam in Tauris ſuis ſacris, ac ſigillatim *Mneuide*, ac *Onuphi*, de quibus nunc mihi agendum, aut obſeruauerant Sacerdotes, aut certe obſeruaſſe videri volebant, quod ex ſequentibus capite hoc patebit.

* Vide VARRONIS de Re Ruſt. Lib. II. cap. V.
** AELIANVS de Anim. Lib. XI. cap. X.
*** Quidam pro *Menes* habent *Mneuin*; ſed perperam.
† ARTAPANVS apud EVSEBIVM Praepar. Euang. Lib. IX. c. 27.
†† Vide *Prolegomena* noſtra §. 35.

Quae vero prima et genuina ſuperſtitionis huius origo in Aegypto fuerit, id me hucuſque ignoraſſe, candide fateor.

Inter Tauros ſacros, poſt Apidem, praecipuos honores adeptus eſt Mneuis, etſi ſucceſſu temporis, cultus eius paulatim negligeretur et euileſceret.

§. 2. Inter Tauros, quos religio Aegyptiorum populo ſacros eſſe iuſſit,* primum locum, non tempore quidem; ſed honore et celebritate, *Apis* Memphi cultus, obtinuit, quod ex iis, quae cap. II. Libri huius, prolixe congeſſimus, ac diſſeruimus, abunde intelligitur. Secundus ab hoc fuit *Mneuis*, Heliopoli quondam impenſe cultus, ordine temporis *Apide* prior, ſicuti cenſeo, et huic etiam dignitate par ſemper habitus, etſi cultum eius, labente tempore, a priſtino ſplendore ſemper magis defeciſſe, certum ſit, dum viciſſim honor illi exhibitus, eundo creuerit. Veteres vbi eorum mentionem faciunt, eos ſic coniungere ſolent, tanquam in eadem apud Aegyptios exiſtimatione fuerint, honoribusque iiſdem, ac eodem prorſus cultu fruiti eſſent. *Tauri ſacri*, inquit * DIODORVS, *tum qui Apis, tum qui Mneuis vocatur, vt Oſiridi dicati ſint, et pro Diis colantur, apud vniuerſos promiſcue Aegyptios ſancitum eſt.* Quibus gemina fere ſunt haec AMMIANI: ** *Inter animalia, antiquis obſeruationibus conſecrata, Mneuis et Apis ſunt notiora: Mneuis Soli ſacratur, ſuper quo nihil dicitur memorabile, ſequens Lunae.* Quod auctor iſte, diligens ceteroquin et accuratus, hic ſcribit, *ſuper Mneuide nihil dici memorabile*, id, quod modo dicebam, confirmat, cultum Mneuidis ſenſim defeciſſe, et ab Aegyptiis neglectum fuiſſe, ideoque in res ad eum ſpectantes, obliuione paulatim obliteratas, paucos inquiſiuiſſe. Exemplo ſit, quod de notis ac inſignibus, in tauro vtroque requiſitis, quibus a gregariis poſſent diſcerni, veteres referre ſolent. Notas

* Lib. I. p. 19.
** Lib. XXII. p. 245.

Notas enim, quae in *Apide* adeſſe debebant, * diſtincte et a Scriptoribus permultis recenſentur. Sed notas, quas in *Mneuide* oſtentabant Sacerdotes Heliopolitani, Scriptores ſilentio praeterire ſolent, et eſt inter eos vix vnus aut alter, qui earum, vel paucis tantum, meminiſſe operae pretium duxerit. AELIANVS, ** qui in congerendis inſignibus characteribusque *Apidis* multus et vere nimius eſt, notas *Mneuidis* commemorare dedignatus omnino eſt. *** *Dicunt Aegyptii*, inquit ille, *et Mneuidi eſſe ſuum proprium inſigne, quo intelligatur eſſe genuinus, Solique charus. Verum qualenam illud ſit, dicat alius.*

Mneuis ſingulari ratione ſacer erat Soli.

§. 3. Vidimus §. 2, veteres quosdam hoc inter *Apidem* et *Mneuidem* obſeruare diſcrimen, quod prior Lunae, poſterior Soli conſecratus eſſet. Ita DIODORVS et AMMIANVS, quorum verba attulimus. Accedat AELIANI auctoritas, cuius haec ſunt verba: **** Μνεῦιν βοῦν Αἰγύπτιοι ἡλίῳ φασιν ἱερόν· ἐπεὶ τόν γε Ἄπιν ἀνάθημα εἶναι Σελήνῃ λέγουσιν. *Mneuin bouem Soli ſacrum perhibent Aegyptii, vt Apim Lunae.* Eundem ad modum PORPHYRIVS adfirmat: † *Soli quidem atque Lunae boues conſecrarunt* Aegyptii, *qui Soli ſacer eſt Heliopoli, dicitur Mneuis — quem vero Lunae dicarunt, Apim nominant.* Et SVIDAS in voce Μέμφις. Τοῦτον (Ἄπιν) Αἰγύπτιοι τιμῶσι σελήνῃ, καὶ ἱερὸς ἦν ὅδε ὁ βοῦς τῆς σελήνης, ὥσπερ ὁ †† Μνεῦις τοῦ ἡλίου. *Apin Aegyptii dicarunt Lunae, eratque is Lunae*

 ſacer,

* Vide ſupra Libri huius cap. II. §. 5.
** De Animal. Lib. XI. cap. X.
*** Idem Lib. eodem cap. XI.
**** de Animal. Lib. XI. c. XI.
† Apud EVSEBIVM Praeparat. Euang. Lib. III. c. XIII.
†† Ita LEOPARDVS et alii legendum eſſe, dudum viderunt.

ſacer, ſicut Mneuis Soli. Sed haec veterum dicta non ſine aliqua cautione accipi debent. Si enim id, quod de Theologia Aegyptiorum circa *Apim* et *Mneuin* referunt, ſenſum iſtum habeat, *Mneuin* Soli tantum, et vice verſa *Apim* Lunae tantum ſacros eſſe, tum euidenter a veritate aberrat. Nam de *Apide* non nego quidem, eum Lunae peculiari ratione dicatum et conſecratum fuiſſe; at non minus eundem Soli quoque ſacrum habitum fuiſſe contendo, idque * ſuo loco, teſtimoniis idoneis, ac additis etiam rationibus, ex ipſa re petitis, euici. De *Mneui*, fateor, dubium ſupereſſe nullum poteſt. Ille *Soli* tantum erat conſecratus, et, vt mihi perſuadeo, primitus imago Solis viua et ſancta habebatur. Ad teſtimonia, id clare docentia, quae §. hoc, et ſuperiori in medium prolata ſunt, poſſum et hocce adiungere MACROBII, ex Saturnal. Lib. I. cap. XXI. *Taurum vero ad Solem referri, multiplici ratione Aegyptius cultus oſtendit: vel quia apud Heliopolin taurum Soli conſecratum, quem ** Mneuin cognominant, maxime colunt; vel quia bos Apis in ciuitate Memphi Solis inſtar excipitur.* Aliud pro adſtruenda re eadem argumentum, capi poteſt ex nomine vrbis, quae cultui Tauri huius ſacri deſtinata erat, *Heliopoli*, id eſt *Solis vrbe. Mneuis* ergo illius vrbis Numen tutelare ſacroſanctum, iam ſic non poteſt non videri Soli conſecratum. Addo, Numini huic, non tantum in *vrbe Solis*, vel *Heliopoli*; ſed in *Templo* etiam *Solis*, ſacra feciſſe Aegyptios. Nam teſte PLINIO, Lib. XXXVI. cap. 8. Rameſtes Rex obeliſcum poſuit, *vbi fuit Mneuidis regia.* Illum vero ſtetiſſe in *Templo Solis*, ſubinnuit AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XVII. p. 100.

Vel

* Libri huius IV. cap. II. §. 3. et 18.

** Ita loco hoc legendum eſſe, viri doctiſſimi, iam dudum monuerunt.

Vel ſi PLINIVS per *regiam Mneuidis* ipſam vrbem *Heliopolin* intellexerit, quod ex lectoribus vni vel alteri in mentem venire poſſet, id ſententiam meam tanto magis confirmaret, firmiusque roboraret. Ipſum quoque *Mneuis* nomen Aegyptiacum, nouum mihi argumentum ſuppeditat. Sed de eo plura mox dicemus.

De notis, quae Mneuidem a bobus gregariis diſtinguebant.

§. 4. Etſi veteres notarum et ſignorum, quibus *Mneuis* Heliopolitanus, a gregariis bobus illico dignoſci potuerit, mentionem faciant parciorem, ſunt tamen quaedam ab illis obſeruata, quae et a nobis hic commemorabuntur. Eſt vero animaduerſione dignum, veteres illas ad Solem referre, et ex illis argumentum capere ſolere, quod Taurus ille Soli conſecratus eſſet. Singularem in eo nigredinem obſeruat PLVTARCHVS de Iſ. et Oſir. p. 364. Ὁ δὲ ἐν Ἡλίου πόλει τρεφόμενος βοῦς, ὃν Μνεῦιν καλοῦσιν, μέλας ἐστὶ, καὶ δευτέρας ἔχει τιμὰς μετὰ τὸν Ἆπιν. *Bos vero ille, quem Heliopoli alunt, dictus Mneuis, valde niger eſt, et ſecundos ab Apide honores ſortitus eſt.* In Apide quidem veteres pariter * nigredinem notant, verum albedine mixtam, ita vt luci tenebrae eſſent interſperſae. Atque ita rem omnino ſe habuiſſe, docet nos *Tabulae Bembinae* inſpectio. *Mneuin* vero Heliopolitanum auguror, aut in vniuerſum, aut ſaltem maxima ex parte nigrum fuiſſe, etſi me effigiem illius vſpiam vidiſſe, meminiſſe nequeam. ** PIGNORIVS quidem credere nos iubet, bouem illum, qui *Tabulae Bembinae* Segmentum ſecundum claudit, eſſe *Mneuidem*; verum ſine dubio fallitur. Vterque ille bos, et qui Segmentum ſecundum inchoat, et qui illud claudit, non eſt niſi vnus idemque *Apis*, quod attenta Tabulae contemplatio

* Vide ſupra Lib. hoc cap. II. §. 5.
** *Expoſit. Tabulae Iſiacae* p. 48. *Edit. Amſt.*

platio vnicuique illico et facile perſuadebit. In principio Segmenti ſecundi, Apis nobis obuertit latus dextrum, in quo veteres collocant ſignum Lunae corniculantis, quod ea de cauſa hic apparet; non vero in fine, quia illic oculis noſtris latus ſiniſtrum obiicitur. In priori *Apidis* imagine conſpicitur *cantharus*, propter euidentem rationem, quam * alibi explicuimus. Quia vero in poſteriori imagine ratio illa deficit, cantharum quoque abeſſe videmus. Ad rem vt redeamus, idem illud nigredinis in Mneuide ſignum, de quo PLVTARCHVM loqui intelleximus, obſeruat etiam PORPHYRIVS, qui ad illud aliud praeterea addit: ** *Qui Soli apud Heliopolin ſacer eſt Taurus, Mneuis nomine, boues alios magnitudine ſuperat, idemque magnopere niger eſt, eo potiſſimum, quod vehementior et aſſiduus Solis ardor, nigrorem corporibus humanis adferre ſoleat. Praeterea praeter aliorum boum naturam, caudae totiusque corporis pilos ſurſum verſus reiectos habet, quemadmodum Sol contrarium Polo curſum inſtituit.* Hanc pilorum indolem inuſitatam, etiam in *Onuphi*, Tauro Hermunthite, veteres animaduertunt, qua de re mox. Pergit vero de *Mneuide* auctor idem et hoc obſeruare. *Teſticulos habet praegrandes, quod rei venereae cupiditas vi caloris excitetur, ipſeque adeo Sol naturam inſeminare dicatur.* Haec inter Aegyptios de *Mneuide* vulgo iactabantur. Verum STRABO, vir in iudicando acer et ſagax, traditiunculas huius generis contemſiſſe videtur. Is enim de *Mneuide* agens, quem ipſe viderat, nil niſi hoc commemoratu dignum exiſtimauit. *** *In Praefectura Heliopolitana eſt Solis vrbs, aggeri maximo impoſita. Habet ea Solis*

* Supra cap. II. §. 22.

** Apud EVSEBIVM Praepar. Ev. Lib. III. cap. XIII.

*** Lib. XVII. p. 553. fin.

*lis Templum, et Mneuin bouem, qui * in ſepto quodam nutritur, et ab Heliopolitanis pro Deo habetur, quemadmodum et Apis a Memphitis.*

§. 5. Si traditionibus quibusdam Aegyptiorum fidem adhibeamus, cultus Mneuidis in Aegypto fuit longe antiquiſſimus, et vna cum cultu Apidis, aut ** regnante *Cacacho* vel *Choo*, aut ſi rationem habemus *** traditionis alicuius inter Aegyptios Propheticae, ſub regno *Menis*, quem **** Scriptores meliores omnes primum Aegypti regem perhibent, iam introductus. Verum rationes magni momenti obſtare, quo minus traditiones huius farinae, tanquam veras admittere poſſimus, idoneis, vt credo, argumentis † in ſuperioribus probatum dedi. Id vero non modo libenter concedo, verum etiam bonis argumentis aſſeri poſſe †† affirmaui, cultum Mneuidis, exitum Iſraëlitarum ex Aegypto, ipſiusque adeo Moſis aetatem anteuertere. Quae, ſi ita ſe habent, vti mihi quidem certo perſuaſum eſt, argumentum nobis ſubminiſtrant maxime euidens, fieri non potuiſſe, vt *Mneuidis* cultus, in honorem atque memoriam Moſis, magni Legislatoris Iudaeorum inſtitutus fuerit, quaſi ſcilicet huius gentis Iudaicae Principis ac Liberatoris, memoria tam chara et venerabilis potuiſſet eſſe Aegyptiis, ac ſigillatim eorum Sacerdotibus Sacrorumque Antiſtitibus, vt eum Deorum ſuorum choro adderent, quod ſane ††† viris doctis-

Cultus Mneuidis in Aegypto, valde antiquus fuit, ipſiusque Apidis cultu antiquior.

* Vox graeca σηκὸς poteſt etiam *delubrum*, vel *Sacellum* ſignificare.

** Vide Libri huius cap. II. §. 16.

*** AELIANVS de Anim. Lib. XI. c. X.

**** La *Chronologie* de Mr. DES VIGNOLES, Tom. II. p. 766.

† Vide Libri huius cap. II. §. 16.

†† Ibidem §. 15.

††† Vide p[illegible] HVETII Demonſtrat. Euang. Prop.

doctiſſimis in mentem veniſſe, ſatis mirari nequeo. Cultus igitur *Mneuidis*, ſi verum aſſecutus ſum, *Apidis* cultu multo prior extitit, verum hic, vbi primum in Aegypto ſtabilitus fuit, priorem paulatim pepulit, locoque primo, quem antea habuerat, ſenſim deturbauit, ita vt deinceps * *honorem ab Apide adeptus* tantum *ſit ſecundum.* Maximum vero Dei huius et exiſtimatio et cultus detrimentum ſenſit, poſtquam Cambyſes occupata Aegypto, in pleraque regni huius Templa, infeſto igne ferroque ſaeuiit. Hanc enim eius crudelitatem Templum Heliopolitanum experiri quoque debuit. Et quamuis regia Ptolemaeorum munificentia, pleraque illa Templa, ſucceſſu temporis ſplendori priſtino reſtituta fuerint pari tamen felicitate frui Templo Heliopolitano non licuit. STRABO enim ſuo etiamnum tempore, triſtia ſigna furoris, quo percitus fuerat Cambyſes, in illo Templo animaduertit, eaque de re ita teſtatur:** *Nunc omnino Heliopolis deſerta eſt: habet autem peruetuſtum Templum, Aegyptio more ſtructum, quod multis manifeſtis indiciis, Cambyſis inſaniam ac ſacrilegia demonſtrat, qui Templa partim igni, partim ferro deuaſtauit, mutilans, exſcindens, comburens, quemadmodum et Obeliſcos.* Ab illo igitur tempore, Sacra Heliopolitarum, ac *Mneuidis* ſigillatim, priſtinam dignitatem ac exiſtimationem ſic amiſerunt, vt ſola fere eorum memoria ſupereſſet.

Interpretatio nominis Mneuis ex auito Aegyptiorum ſermone tentatur.

§. 6. Antequam autem ad alia pergamus, more conſueto, tentemus etiam nominis huius *Mneuis* interpretationem etymologicam. Graeci, qui nomina peregrina, aut ad typum graecanicum contorquere, aut ſaltem in pronuntiando et ſcribendo, aliquam euphoniae rationem habere ſolent, nomen hoc

* PLVTARCHVS de Iſide p. 364.
** Lib. XVII. p. 553.

hoc noſtrum ſcribunt Μνεῦϊς, et in caſu quarto Μνεῦϊν. Hoc vltimum Μνεῦϊν ad typum vere Copticum, proxime accedere arbitror. Inde Graeci, vt opinor, caſum formarunt primum Μνεῦϊς. Si bene diuinaui, literis Copticis id ſic exprimendum eſſet, ⲙⲛⲟⲩⲉⲓⲛ, *Mnuoein*, vel ⲙⲛⲟⲉⲓⲛ, *Mnoein*. Ex eo Graeci ſcribendo et pronuntiando confecerunt ſuum Μνεῦϊν. * Dicitur nempe ⲟⲩⲉⲓⲛ, *U-o-ein*, vel ⲉⲓⲛ, *o-ein*, additoque praefixo conſueto, ⲛ, ⲛⲉⲓⲛ, *lux*, eademque voce deſignatur etiam *Sol*. Hinc igitur eſt, quod vrbs Aegypti peruetuſta, quam incolae lingua auita dixerunt ⲱⲛ, Hebraei vero ſcribere ſolent אֹן, a graecis interpretibus vertatur Ἡλιόπολις, id eſt *vrbs Solis*. Accedente autem nouo praefixo ⲙ, nomen illud induit naturam adiectiui, poteſtque ⲙⲛⲱⲛ commode reddi *Onienſis*, vel *qui ad vrbem On pertinet*, aut *qui One eſt conſecratus*. Sed poteſt illa vox etiam non minus commode exponi *conſecratus Soli*. Sic igitur Μνεῦϊς, vt Graeci ſcribunt, deſignaret *Taurum Onienſem*, vel *Heliopolitanum*. Et hoc nomine ſaepe a veteribus deſignatur *Mneuis*, vt eo diſtinguatur ab Apide, boue *Memphitico*, et ab *Onuphi*, Tauro *Hermunthite*. Aut etiam Μνεῦϊς ſignificabit *Taurum Soli dedicatum* et *conſecratum*, cuius denominationis ratio, ex ſupra dictis peti facillime poterit. Et hanc quidem interpretationem priori libenter praetulerim. Etenim quo tempore *Mneuidem* ad honores diuinos euehere

ſi autem interpretatio haec quam dedi nominis *Mneuis*, veritati conſentanea eſt, confirmare illa poterit, quod in *Prolegomenis* obſeruaui, nomina quae Aegyptii, in ipſis idololatriae ſtabilitae initiis, Numinibus ſuis impoſuerunt, fuiſſe ſimplicia, ſignificationis propriae, ex communi ſermonis vſu, omnibus cognito, deſumta, et his demum, elapſo vno pluribusue Seculis, ſucceſſiſſe nomina Deorum ſymbolica, myſtica, aenigmatica. Cum enim Heliopoli, *Sol* ſub nomine et *Solis* et *Lucis* coleretur, quid ſignificaret *Taurus luci conſecratus*, ab vnoquoque etiam rudiſſimo homine, illico intelligi potuit. Sed nomen *Apis*, quaſi dicas *numeralem* vel *menſuralem*, vtique myſticum magis eſt, et ſine addita explicatione ac interpretatione intelligi non poteſt. Et nunc etiam nominis huius verum ſenſum, non niſi coniectando et diuinando aſſequi poſſumus. Nempe prius nomen, *Mneuidis*, eſt antiquitatis remotiſſimae, poſterius *Apidis*, aliquot Seculis recentius.

Inter Tauros Aegyptiorum ſacros, tertius eſt Onuphis Hermunthi cultus, de quo traditiones veterum adferuntur.

§. 7. Tres modo nunc numerauimus Tauros, religione Aegyptiorum conſecratos, et pro diis habitos, *Apidem* videlicet Memphiten, *Mneuin* Heliopoliten, et *Onuphin* Hermunthiten, et totidem, eosdem nempe quos diximus, commemorat etiam MACROBIVS, inueſtigator Theologiae Aegyptiorum maxime induſtrius, Saturn. Lib. I. cap. XXI. *Taurum vero ad Solem referri, multiplici ratione Aegyptius cultus oſtendit: vel quia apud Heliopolin Taurum Soli conſecratum, quem Mneuin cognominant, maxime colunt; vel quia bos Apis in ciuitate Memphi Solis inſtar excipitur; vel quia in oppido Hermunthi —— conſecratum Soli colunt Taurum, Pacin cognominantes.* Videtur auctor hicce eximius, in recenſendis tauris hiſce ſacris, ordinem temporis, quo quisque eorum ſucceſſiue ab Aegyptiis in coetum Deorum adſcitus fuit, ſeruare, quod obſeruationes meas de eadem

eadem re firmat. De *Apide*, quem tota mirifice celebrat antiquitas, peculiari capite egimus. De *Mneui*, cuius apud veteres parcior et rara magis mentio occurrit, differuimus quaedam hoc capite. Nunc de Tauro Hermunthite, de quo admodum pauca literis prodita deprehendimus, paucula etiam nunc addamus. Praeter MACROBIVM, solus, quantum meminisse possum, STRABO, disertis verbis *Taurum Hermunthiten* commemorat. MACROBIVS ait, eum *Pacin* cognominari, et ita Taurum hunc describit: *In oppido Hermunthi, magnifico Apollinis Templo consecratum Soli colunt Taurum, Pacin cognominantes, insignem miraculis conuenientibus naturae Solis. Nam et per singulas horas mutare colores affirmatur, et hirsutus setis dicitur in aduersum nascentibus, contra naturam omnium animalium. Vnde habetur veluti imago Solis in diuersam mundi partem nitentis.* Obseruabatur ergo in hoc Tauro, ceu singulare quodpiam, et miraculi speciem prae se ferens, (1) quod per singulas horas mutauerit colores, quod quam fuerit verum, aut quomodo saltem id, quod Sacerdotes plebi persuadebant, intelligendum fuerit, loco suo relinquo. Quomodo id ipsum ad naturam Solis referri potuerit, satis explicauimus Lib. II. cap. II. §. 1. (2) quod hirsutus fuerit setis, in aduersum nascentibus, ad instar nempe Solis, qui in diuersam, id est aduersam et oppositam mundi partem, nititur. Notum enim est, veteribus hanc fuisse sententiam communiorem, omnes coelos motu celerrimo ferri ab Oriente in Occidentem, Solem vero cum Planetis, alio etiam motu, ab

Digitized by Google

Rem hanc eandem etiam alio quodam Symbolo apud Aegyptios hunc nempe in modum adumbrari conſueuiſſe, quidam aut aſſerunt, aut ſubinnuunt. * *Ibi quandam nauim, totius naturae curſibus, DIVERSA CVPIDITATE moderantem, cunctaque flammarum congeſtione pleniſſimam, et beatis circumactam mercibus, conſpicatur. Cui nautae ſeptem, germani tamen, ſuique conſimiles, praeſidebant in prora.* Vtrum hoc placitum fuerit priſcae et genuinae Aegyptiorum Theologiae, aſſerere non auſim. Talia tamen ſequiori ſaltem tempore docebant Sacerdotes quidam, et id ipſum in Tauro Hermunthite, ac etiam Heliopolitano (§. 4.) obſeruari, aliis perſuadere volebant. Ceterum et huncce Taurum, re ipſa fuiſſe aliquod Nili Symbolum, eumque Aegyptios praefeciſſe Nilometrio Hermunthi conſtructo, ſicuti Apidem Nilometrio Memphitico, ex eo colligi poſſe opinor, quod hodieque ſuperſint indicia non adeo obſcura, quae fidem faciunt, ** et in hac vrbe Aegyptios habuiſſe Nilometrium. Superſunt hodieque Hermunthi, rudera Templi illius Apollinis, vel Hori, cuius MACROBIVS meminit, et in illis *** apparet etiam effigies bouis, qui eſt haud dubie Taurus ille Hermunthites ſacer.

Tauri huius ſacri Hermunthitae nomen, ex lingua Aegyptiorum exponitur.

§. 8. De nomine Tauri huius ſacri Aegyptiaco, pauca ſubiiciamus. MACROBIVM vidimus teſtantem, eum vocari *Pacin*, quam vocem corruptam eſſe iudico. Alii Codd. habent *Bacin*. AELIANVS de Animal. Lib. XII. cap. XI. eundem vocat *Omphin*. Verba eius ſunt: Σέβεσι δὲ Αἰγύπτιοι καὶ μέλανα Ταῦρον, καὶ καλέσι Ὄνεφιν αὐτόν. Καὶ τὸ ὄνομα τῷ χώρᾳ ἔνθα τρέφεται, Αἰγύπτιοι λεγέ-

* MARTIANVS CAPELLA *Satyrici* Lib. II. p. 42.
** Vide ſupra Libri huius cap. III. §. 4.
*** Vide RICH. POCOCK'S Deſcription of Egypt, Lib. II. cap. IV.

λεγέτωσαν ἡμῖν λόγοι. τραχὺ γάρ. *Colunt et nigrum taurum Aegyptii, quem Onuphin vocitant. Loci vero vbi nutritur nomen, discì potest ex Aegyptiorum libris. Mihi enim dictu et auditu asperum videtur.* Existimabat olim * PIGNORIVS, *Onuphin* hunc AELIANI, diuersum non esse a *Mneui* Heliopolitano. Verum licet non negauerim, *Mneuin* dici etiam potuisse, et dictum re ipsa fuisse *Onuphin*, de boue tamen Heliopolitano illic non loquitur auctor ille. Nam nomen huius vrbis *Heliopolis*, nec auditu nec pronuntiatu durum est, neque auribus etiam delicatulis ingratum quid sonat. Est enim nomen graecum, quo auctor ille vtitur non infrequenter, neque causa erat, vt hoc vno in loco, id adhibere fastidiose dedignaretur. Est sine dubio is ipse taurus Hermunthites, de quo MACROBIVM loqui intelleximus. Audiamus modo AELIANVM loco cit. ita pergentem: Ἀντίαι αὐτῷ τρίχες ἠπερῶν τοῖς ἄλλοις εἰσίν. Ἴδιον γάρ τοι καὶ τῶδε ταῦτα. μέγιστος δὲ ἦν βοῶν ἅπας. —— καὶ σιτεῖται γε Ὄνυφις πόαν μηδικὴν ἅπας. *Pili in eo contra quam aliis vertuntur. Atque hoc ei proprium est, inter boues magnitudine excellit. —— Pascitur autem Medica herba.* Vides Lector, in Onuphi pilos illos in aduersum erectos obseruare AELIANVM, quos in tauro suo Hermunthite, non sine admiratione notauerat MACROBIVS, licet tamen inficias ire non possim, easdem plane notas, quibus *Onuphim* insignem esse scribit AELIANVS, ab aliis quoque in *Mneuide* animaduerti, §. 4. Et hoc forsitan PIGNORIO fraudi fuit, ipsique persuasit, de Tauro alio,

tamen, *Onuphin* a *Mneui* Heliopolitano diſcerni oportere, iam modo oſtendimus. Cumque praeter *Mneuidem* Heliopolitanum, et *Apidem* Memphiten, tertius tantum fuerit, oſtendique poſſit Taurus ſacer, *Hermunthites* ſcilicet, §. 7, *Onuphis* alius ab *Hermunthite* eſſe non poſſe videtur. Praeterea *Hermunthin* ſatis clare deſignat AELIANVS, quando affirmat, loci illius, in quo *Onuphis* alebatur, nomen eſſe τραχὺ, *pronuntiatu durum et aſperum*. Nomen enim hoc apud STEPHANVM *Byzantium* ſcribitur Ἑρμωνθὶς, quam ſcripturam * nummi etiam, qui ſuperſtites ſunt, confirmant. Tale vero nomen auribus Sophiſtarum, qui veneres deliciasque dictionis Atticae, nonnunquam cum affectatione fere inepta et ridicula ſectabantur, oppido durum ac aſperum videbatur. Et in hoc hominum ordine, Aelianum excelluiſſe, ** viri doctiſſimi dudum obſeruarunt. Eadem de cauſa, vt opinor, ARISTIDES, ex eodem grege Rhetor, *** vrbem *Hermonthin* maluit appellare Ἑρμῆν, quam verum eius nomen, auribus ſuis ingratum, exprimere. Sic ergo conſtat, verum nomen Tauri Hermunthitae Aegyptiacum fuiſſe *Onuphis*. Poſſem plures nominis huius interpretationes afferre, nec a lingua, nec a Theologia Aegyptiorum alienas. Nam cum 𓄿𓏏𓅱𓊪, *Nuphi*, vel *enuphi*, vel etiam *anuphi*, ſignificet *bonum*, 𓄡𓃀𓄡 vero, *ehe* vel *ahe*, *bouem* deſignet, *Onuphim* non incommode *bonum bouem*, qui nempe Aegyptiis bona portenderit, liceret interpretari. Aegyptiis porro 𓄡𓃀-𓄿𓏏𓅱𓊪, *Henuphi*, vel *Hanuphi* ἐυθηνίαν ſignificat,

* Le Voyage de PAVL LVCAS fait en 1714. T. II. p. 121.

** RICH. BENTLEY'S Diſſertation upon Phalaris. p. 319. 320.

*** In *Aegyptio* fol. 93. b. fin. Edit. Florent.

gnificat, id eſt *copiam*, *vbertatem*, *abundantiam*, Geneſ. XLI. 29. 31. 34. etc. Et vero *Onuphis* Hermunthites, non ſecus atque * *Apis* Memphites, quando apparebat, *vbertatem frugum*, *diuerſaque praeſagiebat bona*. Verum miſſis his et ſimilibus forte aliis interpretationibus, malo illi inhaerere, quam ** antehac lectoribus obtuli. Erat enim Aegyptiis in more poſitum, vt nomen ⲓⲫ ⲛⲟⲩϥ, *boni Spiritus*, et contractius ⲛⲟⲩϥ, *boni*, ſubintelligendo *Spiritum*, tribuerent etiam *Nilo*, et *bouibus ſacris*, fluuii illius fertilitatem eximiam ſymbolice adumbrantibus. Huius generis erat etiam taurus Hermunthites, ideoque et is vocabatur *Onuphis*, id eſt *bonus Spiritus*, vel *bonus Deus*. Verum quid fiet de *Paci*, quod nomen fuiſſe boui Hermunthitae a MACROBIO accepimus? Suſpicatus *** aliquando ſum, apud eum pro *Pacin* legendum eſſe *Onuphin*, cui coniecturae necdum in vniuerſum renuntio. Nam cum nomen iſtud librariis omnibus incognitum eſſet, fieri perquam facile potuit, vt in deſcribendo aberrarent, et tractu temporis, vnius errorem nouis aliis cumularet alter. Verum fateor tamen, correctionem hanc a ſcriptura vulgata longiori interuallo diſcrepare, quam vt a quouis probari ac admitti queat. Ea igitur de cauſa, **** ad priſtinam coniecturam reuerti fere malo. Nempe cum animaduerterim, in MACROBII *Saturnalibus*, pro *Pacin* alios Codd. prae ſe ferre *Bacin*, aut etiam *Bacchin*, auguror MACROBIVM ipſum, aut ſcri-

pſiſſe, aut ſcribere ſaltem voluiſſe *Pabacin*, idque nomen tauro Hermunthitae, ab vrbis illius incolis tributum quoque fuiſſe. Significat autem *Pabacis*, literis Copticis ſcriptum ⲠⲀ-ⲂⲀϨⲒ, id eſt *Pabaki*, proprie *ciuicum* vel *vrbicum*, ſubintellige *Numen*, id eſt, *Deum tutelarem vrbis*, adeoque idem eſt cum Tyriorum *Melcartho*, quem * BOCHARTVS interpretatur מלך קרתא, *regem vrbis*, et cum Deo Graecorum, quem πολιέα dicunt. Ita nempe ſolebant appellare Deum illum vel Deam, cuius tutelae vrbs aliqua eſſet ſingulariter commendata. Si haec mea coniectura, a ſcopo non aberrauit, vnus idemque Taurus ſacer, vocabatur *Onuphis*, quia *bona* portendebat, et *Pabacis*, quia eum ciues illius vrbis, vt ſummum ſuum beneficumque tutelare Numen adorabant. Iudicent lectores, vtrum ipſis vero videatur ſimilius.

* *Geographiae Sacr.* Part. II. Lib. I. cap. 34.

VA1
1512624